F. A. Schilling

ANIMADVERSIONUM CRITICARUM

AD

ULPIANI FRAGMENTA

SPECIMEN I. II.

AUCTORE

D. FREDER. ADOLPHO SCHILLINGO,

PROFESSORE LIPSIENSI.

LIPSIAE, 1830
SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII.

ANIMADVERSIONUM CRITICARUM

AD

ULPIANI FRAGMENTA

SPECIMEN I.

Jam ante sexennium fere, quum de Ulpiani Fragmentis, quae simpliciter appellari solent, Vratislaviae edidi dissertationem criticam, in fonte eorum explorando maxime versantem, id mihi propositum erat, ut plura alia, quae de Fragmentis illis monenda haberem, peculiari exponerem libello. Quem tum quidem sperabam non ita multo post in lucem esse proditurum. Sed ea spes me fefellit, quum alia intercesserint negotia, quae me occupatum tenerent. Nec tamen ab ipso proposito recessi, ad quod exsequendum exoptata jam accidit, quae mihi commentationis scribendae officium injungit, opportunitas. Itaque in animo nunc mihi est, Ulpiani Fragmenta, certe ex parte, critico studio perlustrare. Jam cum duplex sit ratio critica, qua singula horum Fragmentorum, quorum unus tantum superest codex manuscriptus, nunc Vaticanus, capita tractari possint, altera, quae in mendis codicis corrigendis lacunisve explendis, altera, quae in ejus lectionibus a temeraria quorundam vexatione vindicandis cernitur, ego quidem, quae ad lectiones codicis compluribus in locis defendendas spectant, in aliud tempus reservans, in hac commentatione illam tantum, quae in emendandis vitiis codicis lacunisque supplendis posita est, rationem sequar, ita videlicet, ut praetermissis iis, quae doctorum hominum opera, in quibus Jac. Cujacium atque Gust. Hugonem prae ceteris laudandos censeo,

jam sunt in integrum restituta nec quidquam amplius dubitationis habent, de ejusmodi tantum verbis sententiisve disputem, quae adhuc videntur medicina indigere. — Sed singulorum capitum tractationi praemittantur quaestiones nonnullae latius patentes, quarum una in Hugonis de fonte Fragmentorum nostrorum sententia recensenda versabitur, altera ad titulorum sive rubricarum, quibus ea distincta reperimus, descriptionem, tertia ad novam quandam opinionem, de Fragmentis illis nuper a Ge. Fred. Puchta prolatam, pertinebit.

Scilicet in octava atque nona Historiae juris Rom. editione Hugo conjecerat, Fragmenta, de quibus quaerimus, probabilius posse ad Ulpiani *Regularum libros septem*, quam *librum singularem* referri. Quam ego conjecturam in dissertatione supra commemorata p. 95. seq. impugnavi, cum pluribus aliis, tum vero etiam hoc usus argumento, quod summa Fragmentorum nostrorum, etiam si adsumserimus id, quod verisimile sit interisse, non commode videatur in septem libros distribui posse, quippe cum, si ad exemplum Institutionum Gaji, quarum ordini Fragmenta nostra fere respondent, rationem duxerimus, tres libri superfuturi sint, quibus nihil assignari queat. Atque hoc quidem argumentum Hugo in censura dissertationis meae, quam Ephemeridibus liter. Gotting. a. 1824. Fasc. 169. p. 1681. seq. inseruit et deinde in libro nuper edito, qui inscribitur „Beyträge zur civilistischen Bücherkenntniss etc.“ Tom. II. p. 643. seq. repetiit, ita refutare conatur, ut tribus illis, quorum mentionem feci, libris dicat fortasse *jus publicum* expositum fuisse, quippe quod non omnes Jurisconsulti Romani in Elementis suis aeque praeterierint, atque Gajus in Institutionum Commentariis. At vero falsam esse hanc viri celeberrimi opinionem, luculenter poterit ex iis demonstrari, quae de tribus posteriori-

bus libris Regularum Ulpiani septem libris compositarum in Pandectis Justiniani supersunt, pauca illa quidem, sed tamen rei, de qua agitur, probandae idonea. Nempe ex *quinto* operis istius libro conservata nobis sunt haec: L. 14. D. de impens. in res dot. fact. et L. 24. D. de act. rer. amot., e *sexto:* L. 2. D. de liber. et postum. L. 25. et L. 50. D. de hered. instit. atque L. 4. D. unde cognati, ex *septimo* denique: L. 43. D. de usufructu. Omnes igitur hae reliquiae non nisi ad *jus privatum* pertinent, nec ullum apparet indicium, quo etiam jus publicum iis libris explicatum esse arguatur. — Reliqua vero, quae coniecturae isti de fonte Fragmentorum nostrorum in libris septem Regularum Ulpiani quaerendo opposui, argumenta cum Hugo in censura, quam dixi, haud attigerit, non opus est hoc loco repetere. Quid? quod ipse hic vir doctissimus jam videtur conjecturae illi diffidere; namque in novissima Historiae jur. Rom. editione non amplius eam diserte commemorat. At illud etiamnunc p. 818. et 819. addubitat, num libro *singulari* Fragmenta nostra comprehensa fuerint, tum quod hoc Ulpiani volumen, lacunarum quoque ratione habità, modum libri singularis excedere videatur, tum quod ex perturbata conditione et initii et finis duarum priorum partium, atque ex defectu totius tertiae partis eius systematis, quod ab Institutionibus nomen traxit, suspicari liceat, pluribus olim libris (quorum tamen numerum non definit,) has Ulpiani reliquias constitisse. De priore autem argumento quid sentiam, jam in dissertatione critica p. 101 — 104. exposui, ac profecto, etiamsi plus, quam tertiam, fortasse adeo dimidiam eius operis, cuius Fragmenta tractamus, partem interisse, Hugoni hac de re in censura dissertationis meae disputanti concedam, tamen ne hac quidem ratione adducor, ut credam, superari modum, qui libro singulari *totius juris*

privati summam complexo conveniat. Neque vero magis alteri assentiri possum argumento. Lacunae enim aliaeque perturbationis et confusionis notae, quibus codices manuscripti depravati esse solent, non solum iis in locis inveniuntur, ubi liber aliquis vel incipit vel finitur, verum haud raro etiam medium libri alicuius contextum variis de causis irrepserunt; unde sequitur, ut, si in pluribus codicis cuiusdam locis eiusmodi labes deprehendantur, ex eo solo, nisi alia accesserint indicia certiora, non possit de compluribus operis, quod codice illo continetur, libris idonea coniectura capi. Accedit, quod ne verisimile quidem est, eo Fragmentorum nostrorum loco, ubi secunda systematis Institutionum pars, quod Jus Rerum dicunt, incipit, i. e. principio tituli XIX., quidquam deesse, quemadmodum in Commentationibus meis de historia iur. Rom. p. **362**. demonstrare conatus sum; nec magis ullum exstat lacunae vestigium eo loci, quo, siquidem ex pluribus libris constitissent hae Ulpiani reliquiae, probabiliter, ad exemplum Institutionum Gaji, secundus liber exitum atque tertius initium habuisset, i. e. extremo titulo XXV. atque ineunte tit. XXVI. Tum suspicioni illi plurium librorum hoc quam maxime obstat, quod in codice Fragmentorum nostrorum numeri titulorum *continua serie* procedunt, quam profecto, si quo loco novus liber orsus esset, interrumpi oportebat et denuo inchoari. Nec denique alia praetereunda est difficultas, qua opinio ista implicatur. Etenim *Regularum* nomen ipse Hugo in Historia jur. Rom. l. c. fatetur Fragmentis nostris bene congruere. Iam vero *duo* tantum novimus Ulpiani opera Regularum nomine inscripta, librum singularem et libros septem Regularum. Quodsi ad hos Fragmenta nostra referre, quemadmodum vidimus, non licet, ad illum autem dubitat vir doctissimus ea referre, necesse ipsi erit, nisi a Regularum ratione pror-

sus discedere et de alio fonte cogitare malit, *tertium* Regularum opus pluribus libris compositum Ulpiano adscribere; at huius nusquam nec vola nec vestigium apparet. — Ex his igitur, quae modo disputavi, effici videtur, ut ne novis quidem, quae Hugo attulit, argumentis labefactetur sententia illa, quam superiore dissertatione persecutus sum, ab Ulpiani *libro singulari Regularum* originem Fragmentorum nostrorum esse repetendam.

Jam de inscriptionibus seu rubricis, quas in codice Fragmentorum nostrorum non solum statim ab initio, praemissa tantum morum definitione, una serie enumeratas, verum etiam singulas singulis capitibus articulisve praepositas invenimus, dispiciendum est, utrum ab ipso Ulpiano profectae, an aliunde illatae videantur; qua de re in utramque partem et potest disputari et revera disputatum est. Cujacius enim in adnotatione ad Fragmentorum nostrorum tit. XXVII. §. 5. „Eae sectiones," inquit, „non sunt Ulpiani, quinimmo sunt omnia meo judicio legenda uno contextu, eis quidem certe nihil est inconcinnius;" idemque fere eandem ob causam etiam de Pauli Sententiarum titulis, quales in Lege Romana Visigothorum exstant, ad earum lib. V. tit. XX. statuit. Quam quidem opinionem num postea mutaverit vir summus, id quod ex eius Observat. lib. XIX. c. 30. atque lib. XXI. c. 21. Schultingius in Jurispr. Antejust. ad inscriptionem Sententiarum Pauli p. 213. et ad earum lib. V. tit. XX. not. 1. colligit, in medio relinquo. Nec vero defuere, qui istam Cujacii suspicionem impugnarent; velut Schultingius, quippe qui in libro citato sub initio et Sententiarum Pauli p. 213. et Fragmentorum Ulpiani p. 560. de titulis utriusque operis ita disputat, ut, quamvis in singulis eorum locis depravationis vestigia haud diffiteatur, tamen in universum fidem eorum auctoritatemque defendat, idque omnino dicat moris

fuisse veteribus Jurisconsultis, ut libros suos in titulos dividerent. — Jam ut ab hac generali sententia ordiar, videtur satis idoneum habere, quo nititur, argumentum. Nam in compluribus iuris Romani reliquiis, ubi veterum Jureconsultorum scripta allegantur, praeter ipsos libros saepenumero etiam titulorum mentio habetur; idque non solum in libros ad Edictum cadit, (qua de re conf. Hugonis liber Digestorum p. 99., 102. et 103. atque Buchholtzii edit. Jur. civ. Antejust. Vaticanorum Fragmentorum p. 217. not. a.) in quibus nimirum titulorum descriptio videtur ad ipsius Edicti exemplum facta esse, verum in alia quoque veterum Jurisconsultorum scripta aeque valet. Cujus rei locupletissimum testimonium Mosaicarum et Romanarum legum Collatio praebet, utpote quae cuilibet paene capiti a Jureconsultorum scriptis petito titulum non minus, quam librum, quo comprehensum fuerit, praeponit. Neque in Vaticanis juris Romani Fragmentis deest titulorum ad Jurisconsultorum libros pertinentium mentio, sicut intelligitur ex §§. 90—93., §. 108. (ubi tamen tituli descriptionem alia manu additam esse Ang. Majus animadvertit,) atque §. 227. (quo loco non tituli, sed *rubricae* vocabulum per literam R. significatum invenitur.) Pariter in Consultatione veteris Jurisconsulti c. 4—7. plures Pauli Sententiarum tituli commemorantur; quod idem in Lege Romana Burgundionum nonnullis locis fit, ut tit. IV., V. (ubi etiam Gaji aliquis titulus refertur,) tit. XIII. atque XXVIII. (ex edit. Barkovii.) — Omnes igitur hasce titulorum descriptiones spurias esse et vel ab auctoribus illarum, quas enumeravi, juris Romani reliquiarum, vel a librariis fictas, vix licebit statuere; immo longe probabilius est, in ipsis veterum Jureconsultorum libris titulos sive rubricas solitas esse frequentari. Neque vero haec sententia eo refutatur, quod Jureconsulti Romani,

quos classicos dicunt, ubi alter alterum allegat, librum duntaxat solent, non etiam titulum commemorare, quemadmodum ex innumeris Digestorum locis aliisque veteris jurisprudentiae monumentis cognoscitur; id enim ex brevitatis quodam studio in allegandis scriptoribus commode derivari potest atque explicari, quod scilicet eo usque sequuntur veteres Jureconsulti, ut haud raro nomen tantum auctoris laudent, ne libri quidem, quo contineatur id, de quo quaeritur, mentione adjecta; nisi quis forte hanc allegandi rationem ex eo repetere malit, quod evenerit interdum, ut memoriter Jureconsulti aliorum opiniones referrent. Quid? quod illae ipsae, quas paulo ante ad testimonium vocavi, juris Romani reliquiae in citandis Jureconsultorum libris titulisque nec inter se omnino conveniunt, nec singulae sibimet ipsae plane constant; quod haud scio, an negligentiae sit ac festinationi auctorum earum tribuendum. Sic v. c. Pauli Sententiarum liber tantum ad rem, de qua agitur, pertinens, non etiam titulus citatur in Vatican. Fragm. §§. 172. et 336., itemque in Consultatione c. 3. et in Lege Romana Burgundionum tit. XX., licet in utroque hoc opere, quemadmodum iam monui, saepius inveniatur titulorum ad Pauli Sententias spectantium relatio, quae quidem in Collatione, ubicunque de hoc Pauli opere mentio incidit, nusquam desideratur. Tum Ulpiani ad Edictum et liber et titulus in Collatione tit. II. c. 4., tit. VII. c. 3. et tit. XII. c. 7. commemoratur, in Vaticanis autem Fragmentis modo liber duntaxat, ut §§. 120. et 318., modo titulus quoque, ut §. 266., et quae sunt alia ex eo genere. — Quanquam vero, ut ex supra dictis apparet, credibile est, consuesse Jureconsultos Romanos libris suis etiam titulorum sive rubricarum descriptionem adhibere, tamen id ab omnibus ubique observatum esse, tantum abest, ut contendam, ut in contrariam partem disputare au-

sim. Etenim ut exemplum afferam, Gaji Institutiones, si a librorum separatione discesseris, *uno contextu* perscriptas esse arbitror, nullis ab ipso Gajo titulis rubricisve adhibitis, (ita ut retractandum nunc censeam, quod de modo, quo Gajus primum tertii Institutionum Commentarii articulum inscripsisse videatur, in dissertatione de Ulpiani Fragmentis p. 49. et 50. strictim protuli.) Scilicet in illam sententiam duabus potissimum adducor rationibus. Primum quia in codice Gaji Veronensi nulli reperiuntur tituli *genuini.* Quae enim hic illic in eo appositae et maxime sub initio primi Commentarii cumulatae sunt rubricae, ex parte videlicet ineptae, (velut rubr. V. et VII.) eas non ipsi Gajo, sed potius librario tribuendas esse, qui etiam plures videatur adjicere voluisse, cum nonnullis locis, ubi nova incipit materia, vacuas lineas reliquerit, hoc probabiliter consilio, ut rubricis aliquando eas expleret, jam Goeschenius in praefatione editarum a se Gaji Institutionum (et quidem p. XXVI., XXXIII., XXXX. et XXXXI. edit. II.) recte monuit. Altera vero illius opinionis meae ratio in eo posita est, quod in Mosaic. et Roman. leg. Collatione eo loci, quo Gaji Institutiones citantur, i. e. tit. XVI. c. 2., nullum exstat tituli earum vestigium, sed ita scriptum legitur: „*Gajus Institutionum libro III. legitimas sic ordinat successiones;*“ atqui Collationis auctor tam curiosus esse solet in titulis librorum allegandis, ut haud temerarium videatur argumentari, in cujus libri mentione nihil quidquam ille de titulo significat, eum librum titulorum distinctione caruisse. Ad quam quidem opinionem refutandam non vereor, ne quis mihi Gaji Institutionum oppositurus sit epitomen, quam Lex Romana Visigothorum continet, in titulos nimirum distributam. In hac enim epitoma omnem operis Gajani rationem dispositionemque mirifice interpolatam esse, neminem facile potest, qui vel le-

viter eam cum genuinis Gaji Institutionibus comparaverit, praeterire; atque in promtu est causa, cur Breviarii illius compositores titulos intexuerint Gaji Institutionibus, quo magis videlicet ad reliquas ejus Breviarii partes titulis aeque insignitas convenirent. Nec vero plus mihi negotii facessit, quod in Lege Romana Burgundionum tit. V., quem locum jam supra tetigi, Gaji titulus commemoratur hisce verbis: „*secundum regulam Gaji sub titulo de injuriarum actione.*“ Namque ad Institutiones Gaji hic titulus non refertur, nec sane, quae ex eo proponuntur verba, ita respondent iis, quae in Gaji Institut. Comment. III. §. 224. leguntur, ut ab hoc ipso libro illa repetita esse suspicari liceat. Quapropter non dubito, quin alii libro Gaji (fortasse libro ad Edictum praetoris urbani, quem ex Digestis compertum habemus in titulos distinctum fuisse,) titulum istum tribui oporteat; nec assentiendum puto Barkovio, qui in editione Legis illius verba paulo ante allata ab antecedentibus sejunxit et ad sequentia retulit, quippe quae ipsi visa sunt cum iis convenire, quae Gajus in Institut. Comment. III. §. 225. disputat. Etenim ut taceam, perexiguum esse utriusque loci consensum, illud maxime ei obstat, quod in Lege Romana Burgundionum ejusmodi verba, quibus sententia Jureconsulti alicujus ad testimonium vocatur, (veluti „*secundum sententiam Pauli,*“ etc.) non praemitti praecepto juris, cui probando inserviant, sed subjungi solent, (quemadmodum ex ipso tit. V. in fine pluribusque aliis locis, velut tit. IV., tit. IX. in fine, tit. XIII., XV., XX. intelligitur;) idque in illo loco, quem tractamus, vel idcirco fieri debebat, quia alioquin voeula „*enim*“ nimis longe a principio enunciationis dimoveretur, („Secundum regulam Gaji sub titulo de injuriarum actione injuria *enim* gravis est“ etc.,) quod quidem ferri nequit. — In Ulpiani autem Fragmentis, ut ad haec revertamur, qui

tuendam putat titulorum fidem, non solum codicis eorum Vaticani, sed etiam Mosaic. et Roman. leg. Collationis auctoritate adjuvatur, quippe quae tribus capitibus, ex Ulpiani *libro singulari Regularum*, ut videtur, depromtis, i. e. tit. II. c. 2., tit. VI. c. 2. et tit. XVI. c. 4., tituli mentionem praeponit. — Verumtamen quae in codice illo titulorum descriptio exstat, eam permultas prae se ferre perversitatis notas, nullo pacto negari potest. Quis est enim, qui sibi persuadeat, Ulpianum titulum II. sic inscripsisse: „*De statu liberū vel statu liberis*"? (Ex illo „liberū," ut praetereundo hoc moneam, non cum Hugone „*liberum*," sed „*libero*" efficiendum puto.) Atque etiamsi posteriora verba „vel statu liberis" tanquam ineptum additamentum ejecerimus, illud tamen remanet incommodi, quod non totus iste titulus de statu liberis agit, sed inde a §. 7. diversi testamentariae libertatis modi atque effectus exponuntur. Haec vero disputatio iis quidem, quae in extremo tit. I. reperiuntur, probe congruit, non vero tituli II. inscriptioni; quapropter eam Hugo recte ab antecedentibus sententiis separavit interjecta lineola, quam aliis quoque locis eadem de causa adhibuit. Tum etiam tituli V. inscriptio: „*De his, qui in potestate sunt*," aliquantum dubitationis habet. Namque in potestate non solum liberi sunt parentum, verum etiam servi dominorum; at in titulo isto de liberis tantum in potestate parentum constitutis quaeritur, unde merito exspectare possis, ut in inscriptione illa *patriam* sive *parentum* potestatem commemoratam invenias; quanquam ipse fateor, hoc non magnopere urgendum esse, cum interdum etiam simplex potestatis vocabulum praecipue ad patriam potestatem referatur, ut in L. 4. D. de judiciis. Multo vero ineptior est tituli VII. inscriptio: „*De jure donationum inter virum et uxorem;*" cui videlicet duae tantum ejus tituli sententiae priores respondent,

non item sequentes, utpote quae ad rerum amotarum actionem, stipulationem tribunicjam atque causae probationem spectant. Accedit, quod iste titulus, mediae scilicet retentionum ex dote explicationi inculcatus, contextum hujus rei interrumpit. Jam quod ad tituli IX. atque X. inscriptiones attinet, quarum prior ita se habet: „*De his, qui in manu sunt*," posterior vero sic: „*Qui in potestate mancipiove sunt, quemadmodum eo jure liberentur*," ne id quidem urgeam, quod illa inscriptio, quanquam ad *feminas* tantum referri potest, ita comparata est, quasi *mares* quoque complectatur. Fit enim interdum, ut veteres auctores in enunciationibus generatim conceptis, etiamsi ad *feminas* tantum pertineant, tamen *masculino* genere utantur, velut Ulpianus noster in L. 11. §. 3. D. de his, qui notantur infam.: „Si *quis*" (ex lect. Flor.) „ergo post huiusmodi exitum *mariti nuptum se collocaverit*," etc.; quam ob causam non opus videtur, istud „*qui*" mutari in „*quae*," sicuti Schultingio in not. 2. ad hunc titulum placuit, cui quidem Meermanus in editione sua Ulpiani, Herm. Cannegieterus in Observat. jur. Rom. p. 361. atque Hugo in Historia jur. Rom. p. 136. edit. X. assensi sunt. At illud non potest non offendere, quod in altera inscriptione earum, quae in *manu* sint, nulla prorsus ratio habetur, contra vero *mancipii* mentio fit, cum tamen de iis, qui in causa mancipii sint, in antecedentibus Fragmentorum nostrorum capitibus nihil quidquam traditum inveniatur. Quodsi quis dixerit, totum, qui ad eos spectaverit, articulum, inter IX. scilicet et X. Fragmentorum nostrorum titulum olim collocatum, intercidisse, non repugnabo equidem; verumtamen hac ratione non removetur illud incommodum, quod in praetermissione earum, quae in *manu* sunt, cernitur. Etenim in exponendis modis, quibus quis sui juris fiat, Ulpianum etiam de feminis, quae in manu sunt,

quemadmodum eo jure liberentur, disputasse, quamvis nihil ex hoc loco nobis servatum sit, tum per se est probabile, quoniam paulo ante in manum conventionis meminerat, tum vero Gaji exemplo confirmatur, quippe qui Instit. Comment. I. §. 137., quantum ex corrupto hoc loco atque significatione argumenti jam §. 118 [a]. eiusdem Commentarii facta colligi potest, ea de re tractavit, praemissa videlicet de modis, quibus jus potestatis solvatur, quaestione. Quocirca rubricam tituli X., sive ipsi Ulpiano, sive alii cuipiam tribuenda sit, hunc in modum restituendam arbitror: Qui in potestate, *manu* mancipiove sunt, quemadmodum eo jure liberentur. Ceterum de potestatis vocabulo quae jam ad tituli V. inscriptionem monui, eadem in hanc quoque, quam modo excussimus, inscriptionem cadunt. Quid vero de inscriptionibus tit. XIII., XIV., XVI — XVIII. dicamus? His nimirum, si vel inter se, vel cum argumento ipsis subjecto comparantur, nihil inveniri potest ineptius et ad ordinem confusius. Quae enim titulo XIII. continentur, ab inscriptionis sententia toto coelo differunt. Nec titulus XIV. poenam legis Juliae ipsam, inscriptione nunciatam, sed vacationem ejus poenae refert. Tum tituli XVI. inscriptioni ea tantum conveniunt, quae prima ejus tituli paragrapho comprehenduntur, non item sequentium paragraphorum argumentum, quod propius ad tituli XIV. rationem accedit. Denique quae de jure antiquo in caducis ex sententia legis Papiae titulo XVIII. proferuntur, *praepostere*, quemadmodum etiam Hugo notavit, sequuntur mentionem ejus, quod Imp. Antoninus de caducis constituit, antecedente titulo §. 2. factam; quanquam haec vituperatio ad totum titulum XVIII., neque ad inscriptionem tantum pertinet. Jam quae inde a tit. XIX. in codice nostro exstant rubricae, aptiores quidem sunt maximam partem et concinniores, nec tamen omni offen-

sione vacant. Namque tituli XXII. inscriptioni: „*Qui heredes institui possunt*“ (vel „*possint*,“ ex emendatione Hugonis, quae tamen non est necessaria, cum saepenumero in rubricis a verbo „*qui*“ vel similiter incipientibus *indicativus*, qui dicitur, modus reperiatur, velut Instit. Just. lib. I. tit. 6., 12., 14. et 22., lib. II. t. 8., 9., 12. et 17., lib. III. t. 14., 28. atque 29.) illi, inquam, inscriptioni tantummodo §§. 1 — 13. respondent. Quae enim proxime sequuntur decem paragraphi, ad suos heredes postumosque, qui suorum heredum numero sunt, atque emancipatos liberos vel heredes instituendos vel exheredandos spectant; deinceps inde a §. 24. usque ad finem illius tituli de heredum qualitate et differentia, substitutorum quoque ratione habita, exponitur. Nec vero magis consentanea videri potest sequentis tituli inscriptio: „*Quemadmodum testamenta rumpuntur*,“ (vel „*rumpantur*,“ ex emendatione Hugonis, in quam eadem valent, quae modo ad antecedentem rubricam monuimus.) Etenim non de *ruptis* tantum, verum etiam de *irritis factis* testamentis in eo titulo quaeritur. Jam quamvis et ea testamenta, quae irrita fiunt, possint rupta dici, tamen „*quia sane commodius erat, singulas causas singulis appellationibus distingui*,“ (ut Gajus ait, ac repetiit Justinianus,) ideo irrita testamenta solent in jure Romano a ruptorum notione et appellatione separari. Quapropter inscriptionem istam, quo magis cum iis, quae ipsi subjecta sunt, conveniret, latius concipi oportebat, eum fere in modum, quo Instit. Just. lib. II. tit. 17. inscriptus est: „*Quibus modis testamenta infirmantur.*“ Sed ne sic quidem res salva est, quippe cum quatuor tituli illius paragraphi posteriores ab inscriptionis sententia prorsus abhorreant. Nam quae §§. 7—9. continentur, ad pupillarem substitutionem pertinent, itaque commodius

ad finem tituli XXII. referenda sunt; ultima vero paragrapho militum libera testamentifactio explicatur, quod quidem si extremo titulo XX. legéretur, aptiorem haud dubie locum obtineret. Postremo tituli XXVII. inscriptio: „*De libertorum successionibus vel bonis*,“ triplicem habet offensionis causam, tum propter interpretamentum, quod verbis „*vel bonis*“ inest, et supervacuum et ab inscriptionis indole alienum, tum quod ultima huius tituli paragraphus non ad libertorum tantum successiones spectat, verum ad *omne legitimae hereditatis jus*, quod ex *lege duodecim tabularum* descendit, tum quod titulus XXIX. eandem fere prae se fert inscriptionem: „*De bonis libertorum*,“ nimirum ipsius argumento accommodatiorem, nec sane credibile est, duos Ulpianum titulos, paululum inter se distantes, paene iisdem verbis inscripsisse. — En igitur longa series incommodorum, quibus rubricae Fragmentorum Ulpiani laborant, quaeque tantam profecto, si quid video, vim habent, ut ab Ulpiano ipso profectam esse titulorum istam, qualis hodie exstat, descriptionem, vix aut ne vix quidem defendi possit. Quid vero? Quae in contrariàm partem afferri possunt argumenta supra proposita, num ea arbitremur nihili facienda esse? Id vereor ne paulo iniquius sit. — Omnibus itaque perpensis inclino equidem in eam suspicionem, quam de *rubricis titulisve in libris juris summae singularum paginarum orae adscribi solitis*, nuper Hugo et in censura dissertationis meae commemorata p. 1684. et in novissima Historiae jur. Rom. editione p. 774. proposuit, allato ad eam confirmandam Vaticanorum juris Romani Fragmentorum exemplo. Quae quidem res jam de Ulpiani libro, cujus Fragmenta tractamus, paulo accuratius explananda erit. Sic igitur mihi statuo: *in antiquissimis ejus libri*

exemplaribus rubricas, absque numerorum distinctione, supremum cujusque paginae locum obtinuisse, postea vero a librariis e suo loco dimotas et singulis capitibus articulisve, quibus congruere viderentur, numerorum etiam serie adhibita, praepositas esse, ita ut, quae hodie exstat titulorum descriptio, non ipsi U l p i a n o *vel iis, qui antiquissima libri, de quo quaerimus, exemplaria confecerunt, sed librariis serioris aevi accepta referenda sit.* Ac causa quidem hujus immutationis haud scio, an probabiliter ex eo repeti possit, quod per constitutionum codices, nempe G r e g o r i a n u m, H e r m o g e n i a n u m et T h e o d o s i a n u m, aliasque juris collectiones, et maxime quidem per J u s t i n i a n e i juris libros tantopere pervulgatus erat titulorum distinguendorum mos, ut eum librarii in aliis quoque libris juris imitandum sibi ac sequendum ducerent. Illud vero non est praetermittendum, in *rubricis summae singularum paginarum orae adscribi solitis* facile potuisse usu venire, tum ut, si plures diversi generis quaestiones eadem pagina continerentur, non toti ejus argumento, sed ex parte tantum, rubrica responderet, sive principali argumento, sive ei, quod proxime sequeretur rubricam, vel etiam extremam paginam occuparet, prout scilicet scriptori vel librario visum esset, tum ut diversorum ejusdem libri exemplarium manu scriptorum rubricae singulis paginis praepositae aliquantum inter se differrent, quandoquidem aliud exemplar alio vel majoribus vel minoribus paginis constaret, atque literarum forma vel scripturae ratio amplior esset latiorque in alio exemplari, contractior in alio, ita ut singulae aliorum exemplarium plus minusve, quam aliorum paginae comprehenderent, neque igitur in omnibus ejusdem libri exemplaribus eaedem plane rubricae singularum paginarum argumento convenirent,

sed a librariis, nisi imprudenter transscriberent, ad cujusque paginae summam accommodandae essent. — Hanc si sequimur conjecturam, fere omnes difficultates, quibus rubricas Fragmentorum nostrorum, quales hodie exstant, implicatas esse demonstravimus, commode videntur explicari posse. Etenim quod titulorum inscriptionibus argumentum suppositum saepenumero, sicut vidimus, aliqua tantum ex parte respondet, id non amplius mirabitur, qui secum reputaverit, quam facile possit, rubricas singularum paginarum in titulorum rubricas sive inscriptiones transferendo, inepti quid exsistere. Exemplis rem illustremus. Quaestioni de libertis, ad quam primus titulus ex hodierna Fragmentorum nostrorum dispositione pertinet, non dubito, quin Ulpianus ea quoque intexuerit, quae de statu liberis monenda putavit, apte nimirum cohaerentia cum eorum mentione, qui testamento liberi esse jussi sunt. Quodsi in antiquissimis codicibus manu scriptis, quemadmodum suspicor, illi paginae, cujus argumentum ad statu liberos spectabat, praeposita erat rubrica: „*De statu libero*“ sive: „*De statu liberis*“, nihil haec res offensionis habebat, quamvis eorum mentionem in eadem pagina alia quaedam vel antecederent vel sequerentur. At vero ex quo rubrica ista a librario quodam in tituli proprio numero distincti inscriptionem conversa est, id quod secundus Fragmentorum nostrorum titulus demonstrat, consentanea esse desiit et reprehensioni locum dedit, quippe cum posterior ejus tituli pars ab inscriptionis sententia prorsus aliena sit. Eadem fere de iis dicenda erunt, quae sub tit. V., VI. atque VII. collocata reperiuntur. Ulpianum enim totam disputationem de modis, quibus naturales liberi in potestate parentum fiant, uberiore scilicet de jure nuptiarum ac dotium quaestione inserta, *uno tenore* peregisse, ex eo videtur apparere,

quod sub finem tituli VII. de causae probatione agitur, eumque locum excipit adoptionum explicatio. Id tamen non impediebat, quo minus iis codicum manuscriptorum paginis, quibus jus dotium comprehendebatur, rubrica: „*De dotibus*“, eique paginae, cui de donationibus inter virum et uxorem aliquid adspersum erat, rubrica: „*De jure donationum inter virum et uxorem*“, praeponeretur. Posteaquam vero hae rubricae e suo loco dimotae et certis titulis, i. e. VI. atque VII., inscribendis adhibitae sunt, non potuit non duplex exsistere incommodum, alterum, quod utroque hoc titulo contextus orationis interruptus et omne vinculum, quo extrema tituli VII. pars cum argumento tituli V. contineatur, dissolutum est; alterum, quod plura alia titulo VII. subjuncta sunt, quae inscriptioni ejus minime conveniunt. Quocirca non assentior Noordkerkio, in Observ. Decad. c. 7. existimanti, ea, quae de causae probatione in extremo tit. VII. inveniuntur, „*ab ipso Jurisconsulto huic titulo fuisse adjecta*“; quanquam ceteroquin rerum, quae tit. V — VII. tractantur, copulationem causamque ordinis ab Ulpiano observati recte ille perspexit. — Atque eadem ratione etiam de tit. XXVII. judicandum censeo. Quae enim hoc titulo comprehenduntur, ea ex Ulpiani instituto *continua serie* ad legitimarum hereditatum expositionem sese applicuisse, cum ex prioribus verbis: „*Libertorum intestatorum hereditas*“ etc., quae quidem respondent principio tituli XXVI.: „*Intestatorum ingenuorum hereditates*“ etc., satis probabiliter colligi possit, tum multo magis vel ex eo intelligitur, quod postremum illius tituli locum obtinet praeceptum juris, cujus vis ad omne legitimae hereditatis jus, ex lege duodecim tabularum descendens, pertinet, vel ex eo, quod plenior uberiorque de bonis libertorum disputatio ultimo, qui superest, Fragmentorum nostrorum

titulo continetur. De causa vero, qua factum sit, ut hodie titulus ille ab antecedente separatus exstet, peculiari et numero et inscriptione insignitus, quid equidem sentiam, ex supra dictis sua sponte apparet. Ceterum non dubitandum videtur, quin et in ejus tituli, de quo modo diximus, inscriptione („*De libertorum successionibus vel bonis*,“) bina verba: „*vel bonis*“, et in secundi tituli rubrica („*De statu liberū*“ [i. e. libero] „*vel statu liberis*“,) tria verba posteriora pro interpretamentis haberi oporteat, a librario quodam idcirco adjectis, ne illic *successionis* vocabulum activa seu subjectiva, quam dicunt, significatione acciperetur pro *jure succedendi*, neve hic verba „*statu libero*“ ita intelligerentur, quasi substantivi et adjectivi vim haberent; nisi quis forte horum additamentorum causam in eo quaerere malit, quod librarius quispiam diversas illas rubricarum formas in diversis codicibus invenerit, neque ullam praetermittendam putaverit. — Tum fortasse etiam illud incommodum, quod de tituli XXIII. inscriptione nimis anguste concepta notavimus, ita explicari poterit, ut statuamus, quaestionem de ruptis et irritis factis testamentis in antiquiore codice non una eademque pagina comprehensam fuisse, sed per duas paginas, licet non totas, pertinuisse, atque ad priorem tantum paginam, in qua de ruptis testamentis scriptum fuerit, spectasse rubricam: „*Quemadmodum testamenta rumpuntur.*“ — Alia vero vitia, itidem in eo posita, quod inscriptionibus titulorum parum respondet argumentum iis subjectum, ex aliis causis repetenda erunt, velut ex eo, quod librarii nonnullas rubricas singulis antiquorum codicum paginis praepositas plane omiserint, unde explicandum puto, quod posterior pars tituli XXII. inde a §. 14. ad inscriptionem non convenit, vel diversorum codicum rubricas miscuerint aliasque ad locum haud congruentem

retulerint, id quod cadere videtur in tit. XIII. et XIV.; quanquam, quae et in his locis et tit. XVI — XVIII. leguntur, magnam partem ita sunt confusa atque perturbata, ut de antiquiore codice, a quo is, qui hodie exstat, manavit, et lacunas quasdam et foliorum nonnullorum confusionem haud temere suspicari liceat. Quomodo autem factum sit, ut, quae jam sub tit. XXIII. inde a §. 7. collocata inveniuntur, ad hunc locum alienum devenerint, non audeo equidem definire. — Sed restat aliquid memoratu dignissimum, quod, ut ex conjectura, quam hucusque persecuti sumus, optime explicari potest, ita rursus ei corroborandae egregie inservit. Scilicet quae in codice Fragmentorum nostrorum tit. V. „*De his qui in potestate sunt*," subjecta sunt, et quidem ex recepta paragraphorum distributione §§. 6. et 7. continentur, ea in Mosaic. et Roman. leg. Collat. tit. VI. c. 2. ad alium libri Regularum Ulpiani titulum, cujus in illo codice nulla mentio fit, nempe ad titulum „*De nuptiis*", referuntur. Hujus quidem discrepantiae explicandae jam in dissertatione critica de Ulpiani Fragmentis p. 43 — 46. periculum feci; quod tamen, quum ea nitatur opinione, titulorum descriptionem, qualis in codice Fragmentorum nostrorum exstat, ab ipso Ulpiano profectam esse, non amplius probo, sed aliam nunc sequor rationem, cum iis, quae modo disputavi, apte cohaerentem. Existimo enim, non in omnibus libri, de quo quaerimus, Ulpiani codicibus manuscriptis locum habuisse illam rubricam: „*De his qui in potestate sunt*", (sive addito sive praetermisso verbo: *patria* vel *parentum*,) sed in uno et altero exemplari ei paginae, quae justi matrimonii et connubii expositionem comprehenderet, praepositum fuisse titulum sive rubricam: „*De nuptiis*", atque ejusmodi exemplar Collationis auctorem ad manum habuisse. Quodsi de causa quaeritur, unde haec rubri-

carum diversitas inter plura ejusdem libri exemplaria orta sit, a diversa eorum ratione argumentique dispositione, quemadmodum jam supra monui, repeti poterit. Namque titulus „*De nuptiis*" tum potissimum poterat ac debebat magis consentaneus, quam alter, videri, si forte illa sententia, a qua in nostro codice titulus V. incipit: „*In potestate sunt liberi parentum, ex justo matrimonio nati*", in uno aut altero exemplari jam extremam paginam antecedentem occupasset, ita ut sequens pagina non nisi in justi matrimonii et conditionibus et effectibus describendis versaretur. Cum vero de numero, quo titulus iste „*De nuptiis*" insignitus fuerit, Collationis auctor prorsus sileat, neque in reliquis duobus capitibus, quae jam supra dixi probabiliter ex Ulpiani *libro singulari Regularum* depromta esse, titulorum mentioni de numero quidquam adjiciat, haud leve exinde emergere videtur argumentum ad confirmandam conjecturam supra propositam, in antiquissimis illius libri exemplaribus titulos sive rubricas *absque numerorum distinctione* supremum paginae cujusque locum obtinuisse; quae quidem sententia non dubito quin et in permultos alios Jureconsultorum Romanorum libros aeque valeat.

Tertia quaestio, quae, antequam de singulis Fragmentorum nostrorum verbis sententiisve disputemus, ex instituto nostro tractanda est, ad novam spectat opinionem, de Fragmentis illis nuper a Puchta in Institutionum libro (Lehrbuch für Institutionen-Vorlesungen,) et quidem in praefatione p. XIX. et XX. propositam. Is enim negat, pura et genuina forma ad nos Ulpiani Fragmenta pervenisse, quippe cum librarius quispiam de industria ea interpolaverit, vel omittendo vel etiam addendo. Ad quam quidem rem comprobandam duobus potissimum utitur argumentis. Primum enim consulto factum esse ait,

ut undetriginta tantum titulos codex hodie superstes complecteretur, idque tum ex indice titulorum, tum ex verbo „*explicit*", quo codex finiatur, intelligi; et, quod semper existimatum sit, latius olim integrum Ulpiani librum patuisse, id ipsa codicis nostri inscriptione: „*Tituli ex corpore Ulpiani*", plenissime confirmari. Deinde multas lacunas in medio codice conspicuas eam dicit prae se ferre speciem, ut consulto aliquid praetermissum esse manifesto appareat; atque pro additamento librarii, si non alia, certe ea haberi oportere, quae initio Fragmentorum nostrorum *de legibus ac moribus* tradita inveniantur. — In hac autem argumentatione vera sunt, si quid video, cum falsis permixta. Illud videlicet in dubium vocari nequit, non integrum hodie exstare Ulpiani librum, de quo quaerimus, idque codicis nostri scriptorem ipsa inscriptione significare voluisse, admodum probabile est; qua de re sententiam meam in superiore dissertatione de Ulpiani Fragmentis p. 89. et 90. exposui. Nec magis negari potest, et lacunas in codice nostro deprehendi multas, et alia depravationis vestigia. Est vero haec communis sors fere omnium antiquitatis monumentorum, quorum nullum facile ab omnibus mendis maculisque vacuum ad nos pervenit. Quodsi ab hujus generis vitiis, partim temporum iniquitati, partim librariorum culpae tribuendis, itemque a titulorum descriptione, quam demonstrare conatus sum non ipsi Ulpiano, sed librariis serioris aevi acceptam referri oportere, discesserimus, nequaquam concedo equidem, genuinam Fragmentorum nostrorum formam de industria vel praetermittendo vel addendo a librario quopiam interpolatam esse. Quid? quod ne illud quidem credo in consilio ejus, qui Vaticanum Fragmentorum nostrorum codicem confecit, positum fuisse, ut, quamvis plures nosset, tamen non nisi undetriginta titulos transscriberet; immo

hoc longe probabilius mihi videtur idcirco accidisse, quia mancum erat illud exemplar, quod sibi transscribendum sumserat; idque satis certo colligi licet ex imperfecto codicis nostri et initio et fine; (quocum conferenda sunt, quae apud Gajum Institut. Comment. III. §. 50. leguntur.) Etenim exemplum libri consulto vel inchoare a media aliqua sententia, vel finire, antequam postrema sententia omnibus suis numeris et partibus expleta sit, hominis est imprudentissimi et plane vecordis; quae quidem res efficit, ut, si tale quid in codice manuscripto inveniatur, de aliis potius causis, nisi perversa ista librarii voluntas certissime constet, cogitare debeamus. Nec vero mihi obstat vel index titulorum, vel verbum „*explicit*", in extremo codice positum. Namque indicem titulorum credibile est librarium illum ad modum et ambitum antiquioris codicis, in quo describendo occupatus esset, composuisse. Quot igitur ibi invenerat titulos, tot in indice enumeravit, complures etiam enumeraturus, si plures reperisset. Verbum autem „explicit", quo constat librarios consuesse finem codicis, quem conscripserant, notare, quidni poterat etiam tum adhiberi, si quis librarius opus absolverat, quoad poterat absolvere, i. e. tantum descripserat, quantum per exemplaris ipsi propositi modum licebat, etiamsi integer liber nondum ad finem perductus esset? — Ac similiter eae quoque lacunae, quas in medio codice nostro haud raro conspicimus, non a consilio librarii, sed potius a manca antiquioris codicis conditione, quae difficile est dictu unde orta sit, cum plures ejus rei causae cogitari queant, repetendae mihi videntur. An vero credamus, tam inepte ac perverse versatum esse librarium, ut data opera modo in media enunciatione filum orationis abrumperet, velut extremo titulo XI., modo priore sententiae parte omissa, ut tit. I. §. 10. tit. XXIX. §. 3., posteriora

tantum verba transscriberet? An eum insimulemus tam insulsum fuisse, ut consulto sub certis titulis, velut XIII. et XIV., talia collocaret, quae ad eos plane non convenirent, contra praetermitteret, quae eis essent consentanea? Denique nullo pacto illud assentior viro laudato, quod existimat, quae initio Fragmentorum nostrorum de legibus et moribus exposita inveniantur, ea a librario quodam addita esse. Cui quidem opinioni in codice Vaticano vel hoc obstat, quod, quae ad leges spectant, mediae de libertis quaestioni inculcata reperiuntur; qua de re paulo post dicemus. Nec vero magis audiendus erit, si quis ad antiquiorem librarium additamentum illud referre malit. Non solum enim morem fuisse veterum Jurisconsultorum constat, ut libris, qui summam juris privati ad artem revocati continerent, de fontibus juris praemitterent nonnulla; a quo mirum sane foret, si Ulpianus in libro singulari Regularum discessisset; verum etiam dicendi genus in brevi illa de moribus et legibus disputatione tam probe cum reliquis Fragmentorum nostrorum partibus congruit, ut subjectionis suspicioni nullus locus relinquatur. Quod vero brevis illa, quam modo dixi, disputatio in codice nostro peculiari titulo caret, (illa enim, quae in plerisque editionibus conspicitur, inscriptio: „*De legibus et moribus*", a codice abest,) ac morum definitio indici titulorum praemissa est, quod idem de iis quoque, quae ad leges pertinent, fieri oportebat, id puto ex ea causa deducendum esse, quia in antiquissimis libri Ulpiani exemplaribus manuscriptis prima pagina nullam habebat, sicut ceterae, rubricam summae orae adpositam; quemadmodum hodieque in primis librorum typis exscriptorum paginis usu venire solet.

His itaque praemissis, nunc ad singula, quae adhuc videntur tractatione critica indigere, Fragmentorum nostro-

rum verba sententiasque progrediamur, in quibus quidem ex Vaticano codice, Hugonis beneficio, ut notum est, typis descripto, referendis ipsius codicis et paginas et lineas, quibus illa continentur, notabo, titulorum autem atque paragraphorum ab editoribus receptarum numerum uncis inclusum adjiciam, ceteroquin eandem, quam in superiore dissertatione de Ulpiani Fragmentis inii, rationem sequar, ut scilicet, quo magis lectorum commoditati consulam, et interpunctionem verborum idoneam, quae in codice plerumque desideratur, adhibeam, et notarum vulgarium loco plenas ponam voces syllabasve, et menda aperta protinus tollam, in iis autem, quae aliquam videntur dubitationem habere eamque ipsam ob causam hoc libello in quaestionem vocanda erunt, codicis scripturam accurate repraesentem.

Jam quod ad initium Fragmentorum Ulpiani attinet, certum est agnitumque, id quod jam Cujacius recte animadverterat, primum locum iis deberi, quae de *legibus* traduntur inde a verbis: „*prohibet, exceptis quibusdam cognatis*", etc. usque ad verba: „*mutatur aliquid ex prima lege*", quae quidem in codice nostro sub tit. I. de libertis p. **191**$^{a\alpha}$ l. **23.** usque ad p. **191**$^{a\beta}$ l. **6.** collocata reperiuntur, (in editionibus autem plerisque tres paragraphos primas explent,) atque huic loco adjungi oportere *morum* definitionem, in codice nostro indici titulorum praepositam, (quae paragrapho **4.** plurimarum editionum continetur.) Quodsi de causa tam confusi in codice nostro sententiarum ordinis quaeritur, assentiendum puto Meermano, ad hunc locum Ulpiani in ipsius Thesauro Juris Tom. VII. p. **742.** existimanti, in antiquiore codice, a quo alii manaverint, (vel certe is, quem hodie habemus,) „primum folium sive per bibliopegae incuriam, sive per imperitiam transpositum atque ordine

praepostero post secundum compactum fuisse"; quam quidem conjecturam etiam Hugo in Promtuario juris civilis (Civilist. Magazin) Tom. IV. p. 363. et 364. sequitur latiusque explicat. — Verum enimvero ex parte tantum nobis servata sunt, quae de legibus Ulpianus initio libri, quem tractamus, monuerat; illud tamen ex iis, quae reliqua sunt, intelligere licet, de discrimine *perfectae*, *imperfectae* et *minus quam perfectae* legis eum disputasse. Namque minus quam perfectae legis et definitio integra et exemplum in Fragmentis nostris exstat; quae vero eam mentionem antecedunt verba, dubitari nequit, quin ad exemplum *imperfectae* legis pertineant, cujus nomen ac notio apud Macrobium Commentar. in Somnium Scipionis l. II. c. 17. sub fin. invenitur. Consentaneum itaque est arbitrari, de *perfecta* quoque lege antea tractatum fuisse. Num vero etiam de *plus quam perfecta lege*, id quod Zimmernius in Historia juris Rom. privati Tom. I. §. 17. p. 62. et Franckius in Tractatibus jur. civ. p. 6. statuunt, atque illius censor Huschkius in Commentariis jurisprudentiae criticis Tubingensibus Tom. V. Fasc. II. p. 228. comprobat, valde equidem addubito, cum illa ipsa notio, quam etiam Hugo in Historia jur. Rom. p. 434. defendendam putat, vix mihi admitti posse videatur. Perfecto enim, quod proprie dicimus, nihil potest esse perfectius, nisi de ipsa perfecti notione aliquantum detrahere velis; ac summa civilium legum vis in eo cernitur, ut, quidquid contra eas factum est, ipso jure non valeat vel rescindatur, quasi infectum sit, idque proprium est perfectae legis; sin etiam poena additur, criminalis potius causa exsistit. — Quid vero et quomodo de perfecta atque imperfecta lege Ulpianus disseruerit, non nisi conjecturis aliquatenus investigari potest; unde non est, quod miremur, alios aliter hac de re sentire. Ac primum quidem Cujacius Observat.

et Emendat. lib. XIX. c. 30. existimat, praemissa definitione legis Ulpianum sic fere scripsisse: „*Lex aut perfecta est, aut imperfecta, aut minus quam perfecta. Perfecta lex est veluti Aelia Sentia, quae vetat aliquid fieri, et si factum sit, rescindit. Imperfecta lex est veluti Cincia, quae supra certum modum donari*" (jam sequuntur ea, quae in codice nostro servata sunt,) „prohibet, exceptis quibusdam cognatis, et si plus donatum sit, non rescindit. Minus quam perfecta" etc. Illud lacunae supplementum, quod ad imperfectam legem spectat, inde a verbis: „Imperfecta lex est" etc., a Cujacio jam editioni Lugdunensi a. 1566. adhibitum, in plures deinde alias editiones penetravit. Meermanus vero l. c. id quidem assentitur Cujacio, quod ad tripartitam istam legum divisionem Ulpiano tributam pertinet; ceteroquin autem ab eo discedit, quippe haec opinans generali legis divisioni Ulpianum subjunxisse: „*Lex enim Julia et Papia viro et uxori, exceptis quibusdam personis*, (aut *cognatis*, vel etiam *casibus*) *prohibet matrimonii nomine inter se plus decima capere; et si plus relictum sit, rescindit, quod datum legatumve est; quae lex perfecta est. Imperfecta lex est, quae prohibet, exceptis quibusdam personis*, (aut *cognatis*) *mortis causa plus donare, et si plus donatum sit, non rescindit*" etc. Zimmernius denique l. c., quem etiam de plus quam perfecta lege cogitare jam monui, initium Fragmentorum nostrorum sic restituendum putat: „*(Plus quam perfecta lex est, quae vetat aliquid fieri, et, si factum sit, non modo rescindit, sed et poenam injungit ei, qui contra legem fecit: qualis est lex — —)* [?]. *Perfecta lex est, quae vetat aliquid fieri, et, si factum sit, rescindit, sed poenam non injungit, veluti — —. Im-*

perfecta lex est, quae vetat quidem, at, si factum sit, non rescindit, sed revocare tantummodo permittit ei, qui contra legem fecit, veluti lex (Cincia?), quae supra certum modum donari prohibet," etc. Ex variis his lacunae, quam notavimus, supplendae rationibus longissime mihi ab omni probabilitate abhorrere ea videtur, quam Meermanus iniit. Nam praeter plura alia, quae ei obstant, paulo post explicanda, duplici errore nititur, quamvis ingeniose eo usum esse Meermanum haud negaverim. Scilicet ut in legis Juliae et Papiae suspicionem incideret, propterea, sicut ipse ait, factum est, quod ea lex in Fragmento jur. Rom. Dositheano §. 3. (vel secundum meam editionem §. 2.) commemoratur, atque hujus Fragmenti fontem animum ille induxerat in *Ulpiani libro Regularum* esse quaerendum; quam quidem opinionem prorsus falsam esse, in dissertatione mea de Fragmento Dositheano p. 38. seq. demonstravi. Alter vero error, quem nimirum cum plurimis superiorum saeculorum viris doctis Meermanus communem habebat, ad librorum manuscriptorum Gervasii et Auredani fidem auctoritatemque pertinet. Utrumque enim hunc codicem hodie constat decimo sexto demum saeculo ex Tiliano Fragmentorum nostrorum codice transscriptum multisque modis interpolatum esse, (qua de re cf. Hugonis Promtuarium juris civilis Tom. IV. p. 361 — 371.;) at ille utrumque credidit antiquum esse ac sincerum, et Auredani potissimum codicem in constituendo initio Fragmentorum nostrorum secutus est. In quo codice quum ita scriptum sit: „*Quod datum legatum est, quae lex perfecta est. Minus quam perfecta lex est, quae prohibet exceptis quibusdam personis mortis causa plus donare, et si plus donatum sit, non rescindit; aut vetat aliquid fieri, et si factum sit, non rescindit,*" etc. in promtu

est videre, quomodo ea artificiose connectendo ac supplendo Meermanus in istam, quam proposuimus, conjecturam delapsus sit. Verum etiam interna ejus ratio impedit, quo minus comprobari queat. Si enim respicimus, quae de minus quam perfecta lege in codice Vaticano exstant, ita scilicet comparata, ut hujus legis primum definitio, deinde exemplum afferatur, parum probabile est, perfectae legis Ulpianum primo exemplum proposuisse, tum nomen subjunxisse sine ulla definitione. Neque ipsum dicendi genus describendo legis Juliae et Papiae argumento adhibitum usquequaque dignum est Ulpiano; certe illud „*viro* et *uxori* . . . . prohibet . . . . capere“ (pro: „*virum* et *uxorem*,“) nemo facile erit, qui probe dictum agnoscat. Quae vero ad imperfectam legem in isto Meermani supplemento spectant, etiam ineptiora sunt. An quis credet, ita compositurum fuisse Ulpianum imperfectae legis definitionem, ut certo tantum exemplo conveniat, ei videlicet, quod Meermano in mentem venit? Etenim ad mortis causa donationes profecto non licet omnium imperfectarum legum argumentum restringere. Quodsi forte verbis imperfectae legis mentioni subjunctis: „*quae prohibet*,“ etc. non definitionem, sed exemplum ejusmodi legis contineri voluerit ille vir doctus, certe particulam „*velut*“, aut simile quid iis praemitti oportebat. Nec vero magis ipsum exemplum imperfectae legis illi assentiendum erit. Nempe de Senatusconsulto cogitat ad legem Juliam et Papiam facto, cujus praeceptum L. 35. pr. D. de mortis causa donat. a Paulo his verbis exponitur: „Senatus censuit, placere mortis causa donationes factas in eos, quos lex prohibet capere, in eadem causa haberi, in qua essent, quae testamento his legata essent, quibus capere per legem non liceret.“ At vero Senatusconsulti exemplum non est credibile Ulpianum inter legum,

quae proprie dicuntur, exempla miscuisse, et, quod caput est, ipsum illud Senatusconsultum vi sua *perfectae* potius, quam imperfectae legis vicem obtinet. Quod ne Meermanus quidem diffitetur, sed alia ex parte idem Senatusconsultum putat imperfectum fuisse, quatenus scilicet non resciderit id, quod viro et uxori plus decima mortis causa donatum esset; verumtamen hujus exceptionis nullum apparet in loco allegato, quo argumentum Senatusconsulti illius describitur, vestigium. — Multo autem melior, quam Meermani conjectura modo refutata, Cujacii sententia est, quanquam nec ipsa ab omni reprehensione vacua. Quod enim hic vir doctissimus idemque sagacissimus perfectae quidem legis definitionem proponit, exemplum autem nominat tantum, non etiam, quid eo cautum fuerit, describit, contra imperfectae legis definitione praetermissa exemplum duntaxat affert, id cum per se parum consentaneum sit, tum vero discedit a ratione, qua de minus quam perfecta lege Ulpianum disputasse ex Vaticano codice cognoscimus; eoque nomine recte mihi videtur Hugo in Additamentis novissimae editionis Historiae juris Rom. p. **1067.** Cujacii supplementum ad imperfectam legem spectans reprehendere. Deinde etiam de exemplo perfectae legis dubitari potest, num accommodate ad mentem Ulpiani legem Aeliam Sentiam adhibuerit. Quamvis enim nequaquam ineptum dici possit hoc exemplum, maxime propter eam sanctionem, quae in Fragmentis nostris tit. I. §. 15., apud Gajum Institut. Comment. I. §§. **37.** et **47.** atque pr. I. qui et quib. ex caus. manum. non poss., commemoratur, tamen et aliae sunt leges, quae non minus commode possint tanquam exempla perfectarum legum afferri, velut lex Furia Caninia, teste Gajo Instit. Comm. I. §. **46.**, itemque Voconia, quippe cum, si quis contra hujus legis sententiam mulierem heredem instituis-

set, nullius momenti esset ea institutio, ita ut hereditas ad substitutos transferretur, sicut ex Cicerone *in Verrem* I. c. 41 — 43. intelligitur. Atque haec quidem lex vel idcirco videtur loco Ulpiani, quem tractamus, optime convenire, tum quia tempus, quo lata est, non multum distat a tempore conditae et legis Furiae, quo exemplo minus quam perfectae legis Ulpianus utitur, et legis Cinciae, ad quam mox perveniemus, tum quia omnes hae leges ad liberalitates spectabant, ut taceam, eas pariter in plebiscitorum numero esse. Sed frustra esse censeo, si quis velit curiosius in eam rem inquirere, cum certi quidquam, nisi plenior inveniatur Ulpiani codex, erui non possit; eamque ipsam ob causam vituperandus videtur Cujacius, quod in eligendo perfectae legis exemplo plus, quam par est, arbitrio suo indulserit; quemadmodum etiam Savinius in Commentariis jurisprudentiae historicae Berolinensibus (Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft) Tom. IV. p. 22. nota 38. judicat. Illud autem, quod idem Cujacius legem Cinciam conjecit ab Ulpiano ad imperfectam legem exemplo illustrandam adhibitam esse, ut plurimis viris doctis arrisit, ita mihi quoque omnino comprobandum videtur, atque hodie Vaticanorum juris Romani Fragmentorum beneficio fere extra omnem dubitationem positum est; quod quidem longius persequi, quoniam plures nostra aetate hunc locum praeclare pertexuerunt, facile supersedere possum. Nihilominus tamen etiamnunc Hugo in Historia jur. Rom. p. 349. seq. de legis Cinciae mentione in isto Ulpiani loco facta addubitat; sed rationes dubitandi ab eo allatae haud scio, an refutari possint, id quod in Commentationibus meis de historia jur. Rom. p. 101 — 103. tentavi. Atque etiam Zimmernius nondum omnem videtur dubitationem abjecisse, quoad ex interrogationis signo legis Cinciae commemorationi ad-

jecto cognosci potest. Quod vero Elversius in Promptuario Gajano s. v. „Voconia lex" hanc ipsam legem, tanquam imperfectam, ad illum Ulpiani locum retulit, neutiquam ei assentiendum est. Etenim verba Ulpiani in eo loco servata ad modum *donationum* spectant; lex Voconia autem, ut ex Gajo II. §. 226. aliisque veterum testimoniis manifestum est, legatis mortisve causa capionibus, quae nimirum simplici donationum nomine significari nequeunt, certum modum constituit. — Jam quod ad formam attinet, qua argumentum legis Cinciae Cujacius ab Ulpiano descriptum putat, dubitationem afferunt verba: „*supra certum modum.*" Quippe verisimile est, ipsam summam, ultra quam lege illa donari prohibitum erat, Ulpianum indicasse, quemadmodum in legis Furiae relatione ab eo factum videmus. Cum vero summa ista hodieque in ambiguo sit, maxime probandum censeo, si quis in restituendo legis Cinciae argumento, ad Unterholzneri exemplum in Rhenano Museo Jurisprudentiae Tom. II. Fasc. IV. p. 440. not. 4.), eum locum, ad quem summae mentio pertinet, vacuum reliquerit. — Restat, ut de ratione, qua Zimmernius initium Fragmentorum nostrorum supplendum existimat, supra proposita dispiciamus. Atque hic quidem vir doctus, quanquam verba illa Cujacii, de quibus modo disputavimus, „*supra certum modum*", recipienda duxit, duo tamen, quae in illius supplemento reprehendenda nobis visa sunt, probe evitavit, tum imperfectae legis aeque ac perfectae definitionem proponendo, tum satius censendo, exemplum perfectae legis in medio relinquere; ceteroquin autem habet nonnulla, in quibus a me impetrare non possum, ut ei accedam. De plus quam perfecta lege jam dixi, quid sentiam; idque si probabiliter disputatum est, efficit simul, ut in definitione perfectae legis opus non sit

verbis: „*sed poenam non injungit*“, (quibus si locus detur, etiam haec adjicienda erunt: ei, qui contra legem fecit.) Quod contra oportet in imperfectae legis definitione. Quum enim hoc nomine Macrobius l. c. dicat eam legem appellari, „*in qua nulla deviantibus poena sancitur*,“ id ipsum, in quo proprietas huius notionis cernitur, in definitione exprimatur necesse est. In quo autem maxime a Zimmernio discedendum puto, illud est, quod in imperfectae legis definitione verbis „*non rescindit*,“ adjunxit: „*sed revocare tantummodo permittit ei, qui contra legem fecit.*“ Etenim si lex revocare permittit, quod gestum est, id rescindit profecto, ita scilicet, si is, cujus interest, agnoscere illud nolit ac remedio utatur ad eum finem ipsi concesso. Jam non ignoro equidem, interesse aliquid, utrum ipso jure quidpiam non valeat, an adhibito demum remedio rescindatur; verumtamen in summa rei, si ad effectus respicimus, convenit utrumque, quatenus id agitur, ut omnis laesio ab eo, cujus interest, avertatur et perinde habeatur, ac si nihil in ejus detrimentum factum esset. Hinc fit, ut saepenumero in jure Romano *promiscue* usurpentur hae locutiones: *nullum esse*, *nullius momenti esse*, *ipso jure non valere*, *nihil agi*, *irritum esse*, *impediri*, *infirmari*, *retractari*, *revocari*, *rescindi;* quam in rem conferantur L. 61. pr. D. de jure dotium, L. 3. §. 10. L. 5. §. 5. L. 7. §. 6. L. 31. §. 4. L. 32. §§. 21. et 23 — 25. et L. 52. §. 1. D. de donation. inter vir. et uxor., L. 43. §. 2. D. de vulg. et pupill. substitut., L. 22. D. quae in fraudem creditor., L. 2. C. si propt. public. pensitat. atque Brissonius s. v. *Rescindere.* — Itaque ipso jure non valere aliquid interdum ea potissimum significatione dicitur, ut secundum jus civile quandoque habeat is, cujus interest, revocandi potestatem. Sic v. c. inter vi-

rum et uxorem donationes teste Ulpiano in L. 3. §. 10. D. de donat. int. vir. et uxor. ita interdictae sunt, „ut *ipso jure nihil valeat*, quod actum est“; idque idem Ulpianus in L. 5. §. 18. D. eodem tit. hisce verbis interpretatur: „In donationibus autem jure civili impeditis hactenus *revocatur* donum ab eo ab eave, cui donatum est, ut, siquidem exstet res, vindicetur, si consumta sit, condicatur hactenus, quatenus locupletior quis eorum factus est.“ Quodsi lex ita vetat aliquid fieri, ut, si factum sit, revocare permittat, *perfecta* potius, quam imperfecta habenda erit, sicut etiam Huschkius l. c. censet. Verumtamen non crediderim, quod plurimis viris doctis placuit, imperfectam legem per se *omni vi atque effectu carere*, sed potius cum Muehlenbruchio in Doctrina Pandect. §. 46. et §. 631. not. 7. ita statuo, si quis contra ejusmodi legem sese obligaverit, eum *exceptione* certe, („quod contra legem ... factum est“, secundum Gajum IV. §. 121.) sive expresse, sive tacite illa lege contineatur, antequam solverit, quod promisit, tueri se posse; at solutione facta, nihil amplius praesidii ex illa lege, quippe quae naturalem non peremerit obligationem, ad rescindendum negotium jam perfectum habere; quocirca de lege Cincia, siquidem ad eam initium Fragmentorum nostrorum referendum est, Ulpianus dicit: „si plus donatum sit, *non rescindit.*“ Cui quidem sententiae nequaquam obstat, quod in Vatican. jur. Rom. Fragm. §. 266. idem Ulpianus ait: „si quis contra legem Cinciam obligatus non excepto solverit, ... repetere eum posse“, (qua de re cf. etiam L. 21. §. 1. D. de donationibus.) Hanc enim actionem in promtu est videre non ab ipsa lege Cincia repeti posse, (alioquin nimirum ex lege ipsa nomen tractura fuisset, ut Cinciae legis exceptio, ut legis Aquiliae actio,) sed prudentum auctoritate supplendae atque amplificandae le-

gis CiNciae gratia ad revocandas donationes immodicas adhibitam esse. — Denique etiam in conceptione verborum, quibus Zimmernius imperfectae legis vim descripsit, inest aliquid, quod reprehendendum videatur. Quippe fieri potest, ut lex, quae revocare vel impugnare, si quid contra ipsius sententiam factum sit, permittit, hanc facultatem non ei, qui contra legem fecit, sed alii cuipiam, cujus interest, concedat. Fingamus legem, qua introducta sit inofficiosi querela; (id quod praeeunte Cujacio multi revera, quanquam paulo inconsideratius, legi Gliciae tribuerunt.) Eam legem, cum testamentum recte quidem, sed non ex officio pietatis factum impugnari ac rescindi permittat, ille vir doctus, si sibi constare volet, *imperfectis* adnumerare debebit; attamen huic causae non conveniunt verba, quibus in definienda imperfecta lege usus est: „sed revocare tantummodo permittit *ei*, *qui contra legem fecit.*“ — Perlustratis igitur aliorum de restituendo Fragmentorum nostrorum initio conjecturis, meum est, quae mihi quidem ratio maxime placeat, exponere; quo loco vix opus erit repetere, quod jam supra monui, a conatu restituendi perfectae legis exempli, quippe quod sperare non liceat certo exploratum iri, aeque abstinendum esse, quam a summae lege Cincia definitae mentione. Itaque praemissa et definitione legis et tripartita illa, quam Cujacius restituit, divisione, sic fere Ulpianum scripsisse arbitror: *Perfecta lex est*, *quae vetat aliquid fieri*, *et si factum sit*, *rescindit; qualis est* (sive *veluti*) . . . . . . ? *Imperfecta lex est*, *quae vetat aliquid fieri*, *et si factum sit*, *non rescindit*, *nec poenam injungit ei*, *qui contra legem fecit; qualis est lex Cincia*, *quae plus quam* . . . . . . *donari* prohibet, exceptis quibusdam cognatis, et si plus donatum sit, non rescindit. Minus quam perfecta lex est“, etc. — Ceterum sunt, qui

praeter ea, quae modo commemoravimus, etiam plura alia Ulpianum initio libri sui disputasse suspicentur. Sic Meermanus in nota 1. ad Ulpianum ab ipso editum, praejudicata videlicet ductus opinione, Fragmentum Dositheanum ab Ulpiani *libro Regularum* manasse, ex comparatione Fragmenti illius colligit, „praemisisse .... Ulpianum Tractationi *de Libertis* varia quaedam de juris speciebus“, atque prooemii loco „fere ea omnia .... tradidisse, quae Imp. Justinianus sub *Titulo secundo Libri primi Instit.* tractavit“, eandemque ob causam, ut paulo post nota 3. ait, etiam paragrapho 4. prooemii Ulpianum haec putat praemisisse: „*legis autem adpellatione caeterae partes juris scripti comprehenduntur.*“ Ac similiter Hugo in Promtuario juris civ. Tom. IV. p. 364. existimat, initio Fragmentorum nostrorum intercidisse quaestionem de justitia et jure maximamque partem loci de jure naturali, gentium et civili; inter ea enim, quae hodie §. 3. continentur, et morum definitionem §. 4. comprehensam haud dubie de Senatusconsultis, constitutionibus Principum, edictis magistratuum aliisque rebus tractatum fuisse. At vero, ut Meermani istam de Fragmento Dositheano opinionem cum iis, quae inde collegit, missam faciamus, et in Hugonis tantum sententia, cui exemplum Institutionum Justiniani obversatum est, commoremur, ex eo, quod harum quidem exordio quaestiones illae, quarum mentionem fecimus, explicantur, non licet profecto argumentari, in omnibus veterum Jurisconsultorum libris, qui summam juris breviter descriptam continerent, idem esse aequaliter observatum. Quid? quod ne Gaji quidem Institutiones, multo sane Ulpiani libro singulari Regularum prolixiores, talem habent articulum, qui Institutionum Justiniani titulo „de justitia et jure“ respondeat; nec de jure

naturali quidquam illae, sicut hae, juris civilis et gentium explicationi praemittunt; quapropter facile mihi persuadeo, in sententiam istam non discessurum fuisse Hugonem, si jam tum, cum eam proposuit, genuinae Gaji Institutiones repertae fuissent. Sed nec illud necesse est credamus, ad Gaji exemplum Ulpianum principio libri sui praeter leges, quae proprie dicuntur, alias quoque scripti juris formas illustrasse; quandoquidem admodum probabile est, legis vocabulum initio Fragmentorum nostrorum in latiorem significationem, veteribus Jurisconsultis haud inusitatam, pro *omni scripto jure* accipi oportere; qua de re in Commentationibus de historia juris Rom. p. 363. et 364. not. 1010. disputavi. Hac igitur ratione Ulpianus eo loco, de quo quaerimus, non nisi duo summa juris civilis genera, scriptum et non scriptum jus, quorum etiam in L. 6. §. 1. D. de justitia et jure, ex Ulpiani lib. I. Institutionum depromta, atque §. 3. I. de jure nat. gent. et civ. mentio fit, videtur commemorasse, ad illud legis, ad hoc morum nomine relato. — Verum enimvero non solum ex iis, quae ad species juris pertinuerint, sed etiam ineunte Jure personarum in Fragmentis nostris aliquid intercidisse, et Meermanus not. 5. ad tit. I. Ulpiani, et Hugo in libro allegato p. 365. suspicantur. Alter enim, rursus ad Fragmenti Dositheani exemplum provocans, Ulpianum in principio tituli I. hanc enunciationem posuisse: „Omnes homines aut ingenui sunt, aut libertini", alter autem titulo I. eum articulos talis argumenti, quale titulis III. et IV. libri I. Institutionum Just. inest, praemisisse existimat. Quae quidem conjecturae non firmiore niti videntur, quam illae, quas modo impugnavi, fundamento. Omnino vero haud pauca Ulpianum in libro singulari Regularum praeteriisse, quae vel apud Gajum, vel in Iustiniani Institutionibus invenimus, nemo mira-

bitur, qui, quid illi in isto libro conscribendo propositum fuerit, quatenus ex ejus reliquiis cognosci potest, secum reputaverit. Scilicet hoc potissimum videtur spectasse, ut praetermissis fere iis, quae vel ad jus gentium pertinerent, vel ex se facile intelligerentur, ea tantum, quae juris civilis propria et inprimis notatu digna essent, quam brevissime describeret, quo facilius memoria teneri possent; quemadmodum etiam Unterholznerus in Museo Rhenano Tom. 1. Fasc. 1. p. 136. judicat. — Atque haec quidem de initio Fragmentorum nostrorum. Jam ad cetera, quae in disceptationem nostram cadunt, pergamus.

In codice p. 191 aa l. 12 — 16. (Tit. I. §§. 6. et 7.) ita scriptum legitur: „Cives Romani sunt liberti, qui legitimae censu aut testamento nullo jure impediente vindicta manumittuntur apud magistratum" etc. Lacunam, qua hunc locum depravatum esse manifesto apparet, vulgo sic expletam invenimus: „Cives Romani sunt liberti, qui legitime *vindicta*, censu aut testamento, nullo jure impediente, *manumissi sunt.* Vindicta manumittuntur apud magistratum" etc. Ad sententiam quidem recte; verumtamen duo sunt in ea supplendi ratione, quae mihi displicent: tum quod ponitur, librarium in *eadem* enunciatione admodum brevi *bis* vel diversis locis aliquid praetermisisse, id quod parum probabile est, tum quod duae illae dictiones „*legitime*" et „*nullo jure impediente*" non satis commode videntur *eadem sententia* conjunctae esse. Aut enim alterutra supervacanea est, quandoquidem nihil *legitime* fieri potest, nisi quod *nullo jure impediente* fit, aut, si quis, quod equidem probo, prius vocabulum ad modum manumittendi referre, alteram autem locutionem ita interpretari volet, ut ne manumissio contra legem aliquam fiat, qua manumittendi licentia cohibita sit, certe desideratur aliquid, quo significetur, illud „*legitime*"

ad manumissionum formas deinceps enumeratas spectare; cui quidem desiderio additis verbis „*id est*", similive additamento satisfieri oportebat. — Itaque alia nobis via ineunda erit. Jam facile possit quispiam, qui pressius codicis scripturam sequi animum induxerit, in eam incidere opinionem, ut legendum arbitretur: Cives Romani sunt liberti, qui legitime censu aut testamento, nullo jure impediente, *aut* vindicta manumittuntur apud magistratum, etc., ita ut supplementum lacunae non nisi in inserenda vocula „*aut*" cernatur. Hanc vero rationem, quamvis proxime ad codicis scripturam accedere negari nequeat, plures tamen causae impediunt, quo minus admittamus. Primum quia hac verborum structura efficeretur, ut dictio illa „*nullo jure impediente*" tantummodo ad libertates *testamento* datas pertineret; atqui latius patet ejus vis, id quod ex ipsis Fragmentis nostris, velut tit. I. §§. 12., 13. et 15. emergit. Tum quia parum verisimile est, Ulpianum in enumerandis legitimarum manumissionum formis discessisse ab ordine apud veteres Jurisconsultos usitato, utpote qui in eo consistit, ut *vindictae* prius mentio fieri soleat, quam census vel testamenti, sicut ex Gajo I. §§. 17., 44. et 138., ex Fragmento Dositheano §§. 6., 15. et 16. (vel §§. 5., 13. et 14. secundum meam editionem,) ex Theophilo I. 5. §. 4. atque Digestorum lib. XL. tit. 2. et 4. intelligitur; quanquam apud Ciceronem in Topicis c. 2. nondum istum ordinem deprehendimus. Ac revera in illo Ulpiani loco manumissionem, quae vindicta fit, *ante* ceteras manumissionis formas commemoratam esse, vel ex eo licet colligere, quod, quae ad illam spectant, paulo post inde a §. 12. testamentariae libertatis explicationi praemittuntur. Denique quod caput est, ipsa natura rei atque dicendi ratio suspicioni illi refragantur. Ita enim dici nequit: Cives Romani *sunt* liberti,

qui — *manumittuntur*, quandoquidem, dum quis *manumittitur*, nondum *est*, sed *fit* demum libertus ac civis Romanus, ideoque, ut libertus appellari possit, necesse est jam facta sit ipsius manumissio. — Quid igitur statuendum erit? Equidem paulo ampliorem in illo loco cognoscere mihi videor lacunam, ex eo ortam, quod librarius totam lineam antiquioris codicis temere praetermiserit, id quod saepius ei accidit, velut tit. XXIV. §. 12., tit. XXIX. §. 3. Sic enim legendum censeo: Cives Romani sunt liberti, qui legitima *manumissione* (vel etiam simpliciter: „legitime") *liberati sunt*, *id est*, *vindicta*, *aut* censu, aut testamento, nullo jure impediente. Vindicta manumittuntur etc. Quo quidem supplemento recepto sententia exsistit tum per se probabilis, tum vero optime consentiens cum iis, quae apud Gajum I. §. 17. leguntur: „Nam in cujus persona tria haec concurrunt, ut ..... *justa ac legitima manumissione liberetur*, *id est*, *vindicta aut* censu aut testamento, is civis Romanus fit." — Ceterum de verbis illis „*nullo jure impediente*", ab Ulpiano pariter in extrema enunciatione collocatis vid. L. 10. pr. D. de condit. institut.

Jam quae illam sententiam, in qua restituenda modo versati sumus, proxime in codice nostro sequuntur, ita se habent: „Vindicta manumittuntur apud magistratum *p̄turimve* velut consulem proconsulem." Mendosum esse illud „*p̄turimve*", nemo non videt; sed alii aliter id vitium correxerunt. In editione Fragmentorum nostrorum Parisiensi a. 1586. margini adscriptum est: „*magistratum P. R. velut consulem*", quasi videlicet mendum istud ex prava siglorum P. R., quibus „*populi Romani*" significaretur, explicatione ortum sit. Jam fatendum quidem est, hujusmodi erroris, in quem librarii inciderint, exempla haud raro deprehendi, velut in ipso Fragmentorum

nostrorum codice p. $197^{b\beta}$ l. 18. (tit. XX. §. 16.) atque p. $200^{b\alpha}$ l. 6. (tit. XXIV. §. 28.) item in L. 7. §. 8. D. de injuriis; de qua vide Cujacium ad Pauli Sentent. V. 4. §. 10. et in Observat. lib. IX. c. 16. At vero quo minus in illo Ulpiani loco eam conjecturam admittamus, impedit *proconsulis* mentio ibi facta, quippe quem non licet inter *magistratus populi Romani* referre; idemque argumentum, praeter alia, etiam iis obstat, quae Unterholznerus in Commentariis jurisprudentiae historicae Berolinensibus Tom. II. p. 145. not. 7. ex corrupta scriptura „*praeturimve*", siglorum notarumque ope effici posse putat: „*populi Romani, apud quem* (scil. *magistratum*, cujus mentio antecedit,) *est jurisdictio imperiumve.*" — Etenim praesides provinciarum, quod quidem nomen, utpote generale, teste Macro in L. 1. D. de offic. praes. etiam *proconsules* complectitur, praesides, inquam, provinciarum a *magistratibus populi Romani*, quemadmodum hujus dictionis proprietas postulat, apud veteres Jurisconsultos accurate distinguuntur, velut L. 3. §. 1. D. quod metus causa, et L. 4. §. 1. D. de interrogat. in jure fac. Quid? quod a *magistratibus* universe praesides interdum separantur, ut L. 1. §. 2. D. de fugitivis, L. 3. §. 1. D. de rebus eorum, qui sub tutela, et L. 131. §. 1. D. de verb. signif.; quapropter Huschkius in Commentario ad „Incerti auctoris magistratuum et sacerdotiorum P. R. expositiones" nuper ab ipso editas p. 109. negat, „proconsules esse magistratus", hoc tamen temperamentum addens: „quamvis laxius loquentibus tam praesides provinciarum aliquando magistratus, quam plebiscita leges dicantur." Scilicet quanquam *magistratibus populi Romani* adnumerari non possunt praesides proconsulesve, tamen *magistratuum* nomine, ubi latior ei subjecta est notio, dubitari nequit, quin comprehendantur; quod qui-

dem ut ex aliis locis apparet, velut L. 2. D. de in jus vocando: „In jus vocari non oportet neque consulem, ... neque *proconsulem*, neque *ceteros magistratus*, qui imperium habent," etc., ita eo ipso, de quo disputamus, Ulpiani loco confirmatur, quippe quo inter exempla magistratuum etiam proconsulem commemoratum invenimus. Verum enimvero ex hoc loco praesidium sententiae nostrae petere non liceret, si novissima Hugonis conjectura sequenda esset. Is enim vitiosum illud „*pturimve*" mutandum censet in „*praesidemve*", ut legatur: „Vind. manumitt. apud magistratum *praesidemve*, velut Consulem, Proconsulem." Sed huic conjecturae etiamsi opponere nolim, usu venire interdum, ut proconsul *separatim a praeside* commemoretur, velut §. 2. I. de libertinis, L. 4. D. de fugitivis, L. 19. D. de ritu nupt. et L. 1. pr. D. de tutor. et curator. datis, (quoniam praesidis nomen et speciale et generale est,) tamen plura alia obstant argumenta, tum quod paulo longius a codicis scriptura discedit, tum quod praesidis nomen nusquam in Fragmentis nostris simpliciter positum invenitur, sed semper *provinciae* vocabulo vel pronomine, quod eo spectat, addito; qua de re cf. tit. III. §. 3., t. VIII. §§. 2. et 5., t. XI. §§. 18. et 20. atque t. XXV. §. 12., tum denique, quod mirum sane foret, si Ulpianus in referendis magistratibus, apud quos vindicta manumissio peragi soleret, *Praetorem* silentio praeteriisset, cujus saepissime in ea re mentio fit, velut apud Gajum I. §. 20., item §. 2. I. de libertinis, L. 1., 5., 7. et 18. §. 1. D. de manum. vind. atque L. 4. C. de vind. libert. — Quae quidem reprehensionis causae non cadunt in vulgarem vitii istius tollendi rationem. Nempe vulgo sic legitur: „Vind. manum. apud magistratum, velut *Praetorem*, Consulem, Proconsulem." Verumtamen ne in hac quidem lectione plane acquiescendum puto, non tam

ideo, quod particulae „*ve*“ vitioso isti verbo adjunctae nulla ratio habita est, (hujus enim additamenti originem facile possit quispiam ex proximo verbo „*velut*“ explicare,) quam potius eam ob causam, quia haud consentaneum videtur, praetorem commemorari *ante consulem*, quod contra fieri solet, (cf. Fragm. nostr. tit. XXV. §. 12., Gajus I. §. 200. et II. §. 278., L. 2. D. de in jus vocando, L. 26. §. 2. D. ex quib. caus. major. in int. rest., L. 3. §. 3. D. de receptis et L. 4. C. de vind. libert.) scilicet idcirco, quia, ut Messalae verbis utar apud Gellium N. A. XIII. 15. relatis, „imperium minus praetor, majus habet consul.“ Itaque non dubito, quin istud „pturimve“, i. e. *praetoremve*, ceterorum magistratuum mentioni postponendum ac proinde legendum sit: Vind. manum. apud magistratum, velut consulem, proconsulem *praetoremve;* quam quidem emendationem jam Hugo in Addend. et Corrig. Jur. civ. Antejust. Tom. II. p. 1603. proposuit, sed postea dereliquit, novissima quippe Ulpiani editione istam, quam paulo ante impugnavi, mutationem „*praesidemve*“ recipiendo. — Omnino vero illud remedium criticum, quod in trajectione verborum cernitur, modo ne temere adhibeatur, admodum probabile mihi videtur ac pernecessarium, cum sexcentis locis in collocatione verborum peccasse librarios animadvertere liceat; id quod eo facilius accidere poterat, si forte in antiquiore codice verbum aliquod, in contextu orationis imprudenter praetermissum, margini adscriptum esset, ac posterior librarius in transscribendo eo codice, quem illi verbo locum tribui oporteret, ignoraret nec conjectura assequeretur. — Ac simile erratum ad praetoris mentionem spectans deprehendere mihi videor in alio Ulpiani fragmento, quod lege 13. §. 1. D. de jurisdict. continetur. Ibi enim vulgo ita legitur: „Magistratus autem vel

is, qui in potestate aliqua sit, ut puta Proconsul, vel Praetor, vel alii, qui provincias regunt," etc. Sed quo melius *praetoris* mentio vocabulo *magistratus* respondeat, leni trajectione verborum adhibita, legendum arbitror: „Magistratus autem, vel is, qui in potestate aliqua sit, utputa *Praetor vel Proconsul,*" etc., nisi forte Ulpianum negligentiae in describendo verborum ordine insimulare, aut per praetorem cum Noodtio in Probabil. jur. civ. l. I. c. 6. *Propraetorem* vel *Legatum Caesaris* seu *Praesidem* intelligere malimus; quod tamen vereor, ne perquam durum sit.

De dediticiis p. 191 aβ l. 9 — 18. (tit. I. §. 11.) ita scriptum legitur: „Dediticiorum numero sunt, qui poenae causa vincti sunt a domino, quibus *vestigia* scripta fuerunt, *qui* propter noxam torti nocentesque inventi sunt, quive traditi sunt, ut ferro aut cum bestiis depugnarent, vel custodiam conjecti fuerunt, deinde quoquo modo manumissi sunt; idque lex *ascia* facit." Conjectura Cujacii, verba „*quibus vestigia*" mutantis in „*quibusve stigmata*," ut compluribus viris doctis arrisit, ita nunc Gaji testimonio I. §. 13. egregie comprobatur. Praeterea vero Gaji auctoritas l. c. me permovet, ut in illo Ulpiani loco ante verba „vel custodiam conjecti fuerunt", intercidisse existimem: *inve ludum.* Itemque paulo ante pro „*qui* propter noxam" etc., ne illud „*qui*" nimis dissolute positum compareat, legendum puto: *quive* propter noxam etc., quod et ipsum Gaji auctoritate l. c. aliisque exemplis, velut L. 3. §. 5. D. de testibus, confirmatur. — Ceterum per legem *asciam*, cujus saepius in codice nostro mentio fit, intelligendam esse legem Aeliam Sentiam, jam dudum agnitum est, neque ullam dubitationem habet.

In iis vero, quae proxime in codice nostro sequuntur (tit. I. §. 12.): „Eadem lege cautum est, ut minor triginta

annorum servus vindicta manumissus civis Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit; ideo sine consilio manumissum *caesaris* servum manere *putat*. Testamento vero manumissum perinde haberi jubet, atque si domini voluntate in libertate esset; ideoque Latinus fit," in his igitur vehementer offendit vox: „*caesaris*." Ac plurimi quidem Fragmentorum Ulpiani editores eam ejiciendam duxerunt. Petitus autem Observationum lib. II. c. 5. p. 201. et 202. in medio relinquit, utrum retinere eam satius sit, an expungere. Quodsi retineatur, hoc velle Ulpianum putat: „eum, qui minor annorum triginta vindicta manumissus sit sine consilio, *Caesaris fieri* servum, id est, fisci." Sed contra hanc sententiam jam Schultingius in Jurispr. Antejust. p. 566. not. 49. recte monuit: „Sic deberet non *manere*, sed fieri servus Caesaris, et nihil causae, cur talis fisco cedat," etc. Accedit, quod lex Aelia Sentia ejusmodi servum, si revera publicari voluisset, probabiliter fuisset non fisco, sed *populo Romano* attributura, cum alia in causa, teste Gajo I. §. 27., servum injuste manumissum *populi Romani* esse jusserit. Itaque nullo modo lectio ista codicis defendi poterit. — Nec vero desunt, qui vocem „caesaris" non tam delendam, quam potius emendandam censeant. Etenim Hugo in Ulpiani editione novissima not. 4. sub illa voce „vel nomen ICti, vel nomen Legis latere" putat, atque in recentissima Historiae jur. Rom. editione p. 683. not. 3. assentitur Puchtae, in Tractatibus juris civilis p. 167. not. 1. pro „*caesaris*" legendum existimanti: „*Cassius*". Verumtamen huic conjecturae illud maxime obstat, quod sequentis enunciationis verbum „*jubet*" necessario ad *legem* paulo ante commemoratam referendum est, neque igitur licet constructionem orationis, interjecto nomine Jureconsulti, ad quem verbum „*putat*" pertineat, discindere;

id quod etiam Zimmernius in Historia jur. Rom. priv. Tom. I. p. 764. not. 15. tangit. Quo minus vero alius legis nomen sub voce „*caesaris*“ latere credamus, plures impediunt causae, tum quod ductus literarum, quibus ista vox constat, nihil plane habent, unde *lex*, quod quidem verbum Ulpianus ipsi nomini legis, si quam commemorat, praemittere solet, elici queat, tum quod in tota historia juris Romani nulla, quod sciam, lex praeter Aeliam Sentiam invenitur, cui id, quod illo Ulpiani loco continetur, tribui probabiliter possit, tum denique, quod paulo post (initio §. 13.) leguntur haec verba: „Eadem lex“ etc., atqui quae iis subjungitur legis sanctio, dubitari nequit, quin legis Aeliae Sentiae sit (cf. Gajus I. §. 38. et §. 4. I. qui et quib. ex caus. manum. non poss.) in quo quidem argumento tanta vis inest, ut hoc unum sufficiat ad opinionem istam refutandam. — Aliam emendationem Zimmernius l. c. proponit. Suspicatur enim pro „*caesaris*“ legendum esse: *Senatus*, ita ut totam quaestionem de minore triginta annorum servo vel vindicta sine consilio, vel testamento manumisso atque herede instituto, ipsa lege Aelia Sentia nondum definitam, paulo post Senatusconsulto aliquo eum in modum, quem Ulpianus refert, decisam esse arbitretur. Ad quam quidem emendationem confirmandam duo affert argumenta, alterum, quod duplex illud verbum „*putat*“ et „*jubet*“ non nisi ad Senatusconsultum conveniat, alterum, quod Gajus II. §. 276. Senatusconsultum commemoret, quo prohibitum sit, „proprium servum minorem annis XXX liberum et heredem instituere.“ Ego vero num his argumentis illud probetur, quod vir doctissimus vult, addubitandum censeo. Primum enim non est concedendum, *putandi* verbum Senatusconsulto tantum convenire; immo etiam *lex* interdum dicitur *putare*, tum scilicet, ut Schul-

tingius ad hunc Ulpiani locum ait, cum „non quidem expresse sancit, at vult“, vel, quod addi potest, si sententia, quam lex secuta sit, non vero ipsum ejus praeceptum indicetur. Cujus locutionis exempla nonnulla Cujacius ad Ulpianum tit. II. §. 4. notavit, in quibus eminet L. 25. D. de statu liberis: „Statu liberos venumdari posse, *leges* duodecim tabularum *putaverunt*.“ Ac similiter etiam Imperatores *putare* dicuntur in L. 5. §. 19. D. de his, quae ut indignis aufer. Jam in illo Ulpiani loco si causa idonea subesset, cur verbum „*putat*“ suspectum videretur, facili sane negotio posset in *patet* mutari; sed nulla mutatione opus esse, ex supra dictis apparet. Deinde Senatusconsultum illud a Gajo commemoratum non commode poterit ad eum Ulpiani locum, de quo disputamus, referri. Namque non definivit omnino, quid efficeretur, si triginta annorum minor servus sine consilio vel testamento manumissus esset, (de quo apud Ulpianum agitur,) sed vetuit tantum, ejusmodi servum cum libertate heredem institui. Gravissima autem, quae Zimmernii conjecturae obstare videtur, ratio in eo posita est, quod ipsa lex Aelia Sentia minoribus triginta annorum testamento manumissis certam viam adipiscendae civitatis Romanae aperuit, a Gajo I. §. 29. relatam; atqui hoc fieri non potuisset, nisi eadem ipsa lex (neque igitur Senatusconsultum posterius,) perinde eos haberi jussisset, atque si domini voluntate in libertate essent; quos quidem postea lege Junia Latinos factos esse constat. Etenim, ut praetereundo id moneam, legem Juniam posteriorem esse lege Aelia Sentia, nostra aetate inprimis Hollwegius de causae probatione p. 78—100. atque Gansius in Scholiis ad Gajum p. 60—71. uberius demonstrarunt. — Examinatis igitur aliorum de corrupta ista scriptura „*caesaris*“ opinionibus, dicendum est,

quid mihi de ea emendanda videatur. Scilicet non credibile est, legem Aeliam Sentiam eorum, qui *censu* manumissi essent minores triginta annorum, nullam plane rationem duxisse, cum etiam *censu* manumissos, nisi triginta annos haberent, civitatem Romanam non consecutos esse, ex Gajo I. §§. 17. et 18., Theophilo I. 5. §. 4. et maxime ex Fragmento Dositheano §. ult. compertum habeamus. Quapropter haud temere suspicari licet, legem istam *censu* manumissos ante legitimam aetatem aeque ac sine consilio manumissos, servos manere putasse; quemadmodum etiam Goeschenius in Commentariis jurisprudentiae historicae Berolinensibus Tom. III. p. 243. et 244. existimat. Quod si ita est, rursus mirum foret, si Ulpianus in exponenda legis Aeliae Sentiae sententia id tantum, quod de minoribus triginta annorum sine consilio vel testamento manumissis ea lege statutum esset, commemoratu dignum habuisset, praeteritis *censu* manumissis. Neque enim cum Schultingio ad hunc locum causari licet, quod censu manumittendi consuetudo Ulpiani aetate exoleverit; nam de lege Aelia Sentia, cujus quidem aetate constat manumissionem istam in usu fuisse, eo loco, in quo commoramur, Ulpianus disputat atque id agit, ut, quid haec lex de minoribus XXX annorum manumissis senserit, explicet; quod etiam Meermanus, quamvis minus recte Fragmenti Dositheani auctoritate usus, contra Schultingium monuit. Itaque non debebat illo loco Ulpianus *censu* manumissorum mentionem praetermittere, nisi in eam reprehensionem, quod imperfecte rem exposuerit, vellet incurrere. Ab hac autem vituperatione prorsus vindicabitur, si pro „*caesaris*“ mecum legendum arbitreris: *censuve*, ut plena sententia sit: „ideo sine consilio manumissum *censuve* (scil. manumissum) servum manere putat.“ Nempe sine consi-

lio manumissum intelligi oportet eum, qui *vindicta* sine consilio manumissus est, quippe cum nusquam, quod sciam, vestigium appareat, quo significetur, etiam in ea, quae *censu* fiebat, manumissione usu venisse, ut causa apud consilium probaretur. Quod vero ex Gajo I. §. 41. didicimus, etiam manumissioni inter amicos interdum causae probationem antecedere debuisse, id certe non licet ad legem Aeliam Sentiam referre, quae, quandoquidem antiquior erat lege Junia, dubitari non potest, quin ad *justas tantum ac legitimas* manumissiones spectaverit. Namque inter amicos manumissi per legem Juniam demum „libertatem acceperunt, cum olim servi viderentur esse"; qua de re cf. Gajus I. §. 22. et III. §. 56. atque Fragmentum jur. Rom. Dositheanum §§. 6—8. (vel 5. et 6. ex mea edit.) — Ceterum in promtu est videre, quam facile accidere potuerit, ut in codicibus manuscriptis verba: „*caesar*, *censor*, *census*," praesertim si notis scripta essent, inter se permutarentur, ejusque generis erratum videtur etiam in legem 15. D. de public. et vectig. (quod est fragmentum Alfeni Vari,) irrepsisse, ubi pro „*Caesar*" probabiliter legendum est: *Censor*, quemadmodum praeeunte Fornerio Bachius in Historia jurispr. Rom. p. 225. not. p. (edit. VI.) arbitratur.

P. 191 bβ l. 11—23. (tit. I. §. 21.) ita scriptum est: „Inter medias heredum institutiones libertas data utrisque adeuntibus non valet, solo autem priore adeunte jure antiquo valet; sed post legem Papiam Poppaeam, quae partem non adeuntis caducam facit, siquidem primus heres *vel* jus antiquum habeat, valere eam posse placuit. Quod si non habeat, non valere constat, quod loco non adeuntis legatarii patres heredes fiunt. Sunt tamen, qui et hoc casu valere *ejus* eam posse dicunt." In hac verborum serie, quae quantopere in cod. manusc. Gervasii et Auredani

atque editionibus ad eorum normam expressis interpolata sit, nihil attinet referre, duo inveniuntur vocabula, quae scrupulum nobis injiciant, nempe „*vel*“ (ante verba „jus antiquum habet,“) et „*ejus*,“ in postrema enunciatione conspicuum; quae enim olim omnibus suspecta visa erant verba: „legatarii patres heredes fiunt,“ nunc per Gaji Institutiones II. §§. 206., 207. et 286. ab omni depravationis suspicione plane vindicata sunt. Ac de priore quidem vocabulo quod Jo. Cannegieterus in editione sua monet, ut pro „*vel*“ rescribatur: *veluti*, id nemini, opinor, facile probabitur; neque ille ipse conjecturae suae satis confisus est, quippe quum statim ei periculum interpretandi subjungat, in eo positum, ut „*vel*“ idem denotet ac *veluti*, aut pro *etiam* accipi queat; quod tamen non magis accommodatum huic loco haberi poterit. — Meliorem sane viam jam ante illum ingressus erat Schultingius, cujus ipsa verba audiamus: „Illud *vel*“ inquit, „indicat, aliquid excidisse. Forte Ulpianus scripserat: *siquidem primus heres liberos, vel jus antiquum habeat:* liberos enim habentibus caduca adcrescebant, tit. 25. §. 17. nec non quibusdam cognatis, quibus jus antiquum relictum erat, tit. 18.“ Scilicet post legem Papiam Poppaeam duobus modis, si a substitutionibus discesseris, fieri poterat, ut ex parte heres scriptus, qui adierat, deficientis coheredis portionem acquireret: aut ita, si jus antiquum habebat, i. e. jus accrescendi, liberis et parentibus testatoris usque ad tertium gradum, ut ipse Ulpianus tit. XVIII. docet, lege Papia datum, aut si in ea causa erat, ut caduca vindicaret, quo quidem jure, teste Gajo II. §§. 206. et 207., secundum eandem legem utebantur, qui in eo testamento liberos habebant, vel heredes vel legatarii, sic tamen, ut illi plerumque his potiores essent in caducis vindicandis; (quocirca non satis recte di-

xit Schultingius, liberos habentibus caduca adcrescere.) Jam ex duobus istis juribus alterum quidem in codice nostro commemoratum invenimus, alterum vero non; at hujus quoque Ulpianum mentionem fecisse, cum per se probabile sit, ne quid praetermissum et legatariis patribus plus juris ab Ulpiano, quam heredi patri, tributum videatur, tum vero ex particula „*vel*" satis manifesto apparet, quippe quae alioquin nihil haberet, quo referretur. Itaque verissima est, ad sententiam certe, Schultingii conjectura, cui etiam Rudorffius in Commentariis jurispr. histor. Berolinensibus Tom. VI. p. **414.** assentitur. De eo tantum dubitari potest, quali locutione Ulpianus hac in re usus sit, utrum „*liberos*" dixerit, an „*jus caduca vindicandi*," an „*jus patrum*," sicut in Fragmento de Jure fisci §. **3.** dictum est; quanquam ipse concedo, facillimam esse, de qua Schultingius cogitavit, lacunae istius explendae rationem. — Jam quod ad vocabulum „*ejus*" supra notatum attinet, a plerisque editoribus plane atque omnino praetermissum est. Hugo autem ejus rationem duxit. Etenim in Addend. et Corrig. Juris civ. Antejust. p. **1603.** pro eo legendum existimat: „*jure;*" neque vero hanc conjecturam novissima editione recepit, sed aeque, ut in antecedente, lectionem codicis retinuit, uncis tamen inclusam. Nimirum corruptam esse eam lectionem, nemo erit, quin intelligat; nihilo tamen magis in Hugonis coniectura illa acquiescendum puto. Nam istud „*jure*" non solum supervacaneum est ad verbum „*valere*," (idque dicendi genus, quod *pleonasmi* nomine denotari solet, etsi non abhorreat a veterum Jurisconsultorum reliquiis, tamen multum dubitationis habet, ubi per conjecturam iis inferatur, nec certis exemplis comprobari possit,) verum etiam parum convenit cum antecedentibus: „*non valere constat*," qua quidem locutione id significari vi-

detur, quod rationi juris vel stricto juri accommodatum est. Quid igitur, si pro „*ejus*" scribamus: *aequius?* Hanc si sequimur conjecturam, sententia erit: Sunt tamen, qui et hoc casu valere *aequius* (i. e. ex aequiore sententia) eam posse dicunt; ita ut hoc loco, quemadmodum saepe fit, juris rigori vel strictae juris rationi aequitas opponatur vel benignior interpretatio. — Quodsi de causa quaeritur, unde vitiosa codicis nostri scriptura orta sit, (quanquam non omnium, quae a librariis peccata sunt, ratio reddi potest,) haud scio, an a similitudine soni, quam utrumque istud vocabulum „*aequius*" et „*ejus*" in pronuntiando habet, repeti queat, ut facile potuerit a librario quopiam, si forte dictarentur, quae calamo exciperet, alterum vocabulum auribus male perceptum altero commutari; qua quidem ratione inter omnes constat permulta vitia in codices manuscriptos irrepsisse.

Formularum, quae libertati per fideicommissum dandae adhibeantur, exempla in extrema p. 192 $^{a\alpha}$ et ineunte p. 192 $^{a\beta}$ (tit. II. §. 7.) sic proponuntur: „rogo, fidei committo heredis mei, ut *iste cum* servum manumittat." Ex corrupta scriptura „*iste cum*" plerique editores effecerunt: *Stichum*, Hugo autem: *iste eum.* Hanc vero lectionem, quamvis propius ad codicis scripturam se applicet, a me impetrare non possum, ut agnoscam. Valde enim molestum est vocabulum „*iste,*" ac vix ferendum, quum heredis, ad quem referri debeat, mentio proxime antecedat, nec de alio quoquam, quam herede, in illa verborum conceptione: „ut . . . servum manumittat," cogitari queat. Accedit, quod alio codicis nostri loco, p. 200 $^{a\alpha}$ l. 2. (tit. XXIV. §. 12.) idem fere mendum repetitur: „hominem *istico* do, lego," ubi Hugo ipse aliorum editorum exemplum secutus recte reposuit: *Stichum.* Omnino vero apud veteres Jureconsultos, ubi

servi nomen aliquod exempli causa referunt, nihil est *Stichi* nomine frequentius; qua de re cf. Elversii Promptuarium Gajanum s. v. *Stichus*, item L. **34**. pr. D. de contrah. emt., L. **17**. pr. et §. **1**. D. de condit. et demonstr. L. **40**. §. **1**. et L. **46**. pr. — §. **2**. D. de fideicommiss. libertat. etc. Quapropter etiam in illo Ulpiani loco vulgarem emendationem omnino comprobandam censeo.

Haec igitur habui, de duobus Fragmentorum nostrorum titulis primis quae disputarem. Ac proxime sequentes titulos altera hujus commentationis parte persequemur.

ANIMADVERSIONUM CRITICARUM

AD

ULPIANI FRAGMENTA

SPECIMEN II.

Posteaquam priore commentationis nostrae parte titulos I. et II. Fragmentorum Ulpiani critico studio perlustravimus, jam cum nihil opus sit praemonere, statim ad proxime sequentes ejus operis titulos progrediamur.

De modis, quibus Latini ad civitatem Romanam perveniant, in codice Fragmentorum nostrorum Vaticano p. 192 $^{a\beta}$ l. 23—28. (tit. III. §. 1.) ita scriptum est: „Latini jus Quiritium consequuntur his modis: beneficio Principali, liberis, iteratione, militia, nave, aedificio, pistrino; praeterea et Senatusconsulto *vulgo quae sit te renexa.*“ Postrema verba (inde a „*vulgo*“), etiamsi ex vitiosa scriptura „*te renexa*“ cum omnibus editoribus effecerimus: *ter enixa*, tamen multum dubitationis habent. Conjunctivum quidem „*sit*,“ quo Hugo, de eo loco in Promtuario juris civ. Tom. IV. p. 390—395. disputans, offenditur, defendendum putaverim, ut „*quae. . . . enixa sit*“ perinde habeatur, ac si dictum esset: *si qua enixa sit*, cujus rei exemplum in simili verborum contextu praebet L. 137. D. de verb. signif.: „Ter enixa videtur etiam quae trigeminos *pepererit*,“ (ex lect. Florent.) Ceteroquin autem quid de verbis illis statui oporteat, difficilius est ad investigandum. Possit fortasse quispiam codicis lectionem ita defendere, ut dicat: *vulgo* idem esse ac *passim*, *promiscue*, *indistincte*, quo significetur, Latinam, si ter pepererit, *utique* jus Quiritium consequi, etiamsi ea

non sint observata, quibus opus est, si Latinus liberis velit ad civitatem Romanam pervenire, i. e. testatione et causae probatione, de quibus Ulpianus eodem titulo §. 3. exponit; eamque causam esse, cur „*vulgo*“ primum inter illa verba locum obtineat, ne scilicet ad verbum *eniti* ita referatur, quasi de partu illegitime concepto mentio fieret. Attamen dissimulare non possum, nimis artificiosam mihi ac duram videri hanc interpretationem, quam ut comprobari queat, praesertim cum nullum noverim ex veterum Jureconsultorum reliquiis exemplum, in quo „*vulgo*,“ cum verbis *concipiendi* vel *pariendi* compositum, alio spectet, quam ad partum illegitime quaesitum. Quodsi eo spectat, rursus nulla subest causa, cur primo loco positum et ab „*enixa*“ praeter consuetudinem, pluribus aliis verbis interjectis, separatum sit. — Quapropter ad emendationem confugiendum erit. Quod vero plurimi editores „*vulgo*“ mutarunt in „*veluti*,“ id a Savinio in censura secundae, quae Hugonis opera a. 1811. prodiit, editionis Ulpiani, Ephemer. lit. Halens. a. 1812. no. 115. et 116. comprehensa, jure meritoque explosum est, quippe cum illi loco, quo Ulpianus id egit, ut plena serie enumeraret modos, quibus Latini jus Quiritium consequerentur, *exemplum* aliquod a Senatusconsulto depromtum parum conveniat. Ipse igitur Savinius sub verbo „*vulgo*“ nomen Senatusconsulti, fortasse Volusiani, latere existimat. Verumtamen etiam haec conjectura pluribus laborat difficultatibus, ab Hugone l. c. p. 391. ei oppositis. Aliam itaque viam is, quem modo laudavi, vir doctissimus ingressus ex vitiosa codicis scriptura hanc effecit lectionem: „*vulgo quaesitum ter enixa;*“ quam quidem emendationem lubenter agnosco ingeniosam esse et facilitate sua mirifice commendari. Nihilominus tamen sunt in ea quaedam, quae me adhuc sollicitum habent.

Primum enim subdubito, num „*partum ter* eniti," dici possit pro: *partus tres* eniti, idque ipsi Hugoni scrupulum videtur injecisse, quippe cum l. c. p. 394. in medio reliquerit, utrum „vulgo quaesi*tum*, an „vulgo quaesi*tos*" legi satius esset, quanquam illam emendationem binis editionibus novissimis recepit. Deinde suspectam habeo locutionem: *vulgo quaesitum eniti*, quippe in qua pleonasmus, qui dicitur, insit. Scilicet frequenter quidem inveniuntur hae loquendi formulae: *vulgo concipère*, *vulgo quaerere*, *vulgo parere;* ad quarum exemplum etiam dici poterit: *vulgo eniti*, quanquam huius dictionis non memini me usquam apud veteres, praeter hunc Ulpiani locum, (siquidem codicis Vaticani lectio hac ex parte sincera est,) exemplum reperire. At multo plus dubitationis affert ista locutio: *vulgo quaesitum eniti.* Sane aliquantum quidem ad eam tuendam praesidii videtur e lege 7. D. de grad. et affin. peti posse, ubi dicitur: „Privignus etiam is est, qui *vulgo conceptus* ex ea *natus* est, quae postea mihi nupsit;" sed alia tamen est, si quid video, hujus fragmenti ratio. Etenim eo consilio separata et concepti et nati mentio ibi fit, ut significetur, eum, de quo quaeritur, non solum vulgo conceptum, sed etiam, antequam mater nupserit, natum esse oportere, quia alioquin locus daretur regulae notissimae: „Pater is est, quem nuptiae demonstrant." Superest vero et alia ratio, qua quis Hugonis emendationem defendere possit, si dicat, legitimam fuisse hanc dictionem: „*ter enixa*", (id quod Hugo ipse l. c. p. 394. ex L. 137. D. de verb. signif. colligit;) quam cum retinere Ulpianus voluerit, nec tamen usitata fuerit locutio: *vulgo eniti*, idcirco factum esse, ut dixerit: *vulgo quaesitum eniti.* Sed cum fundamentum, quo nititur haec defensio, parum firmum sit, necesse est et ipsa vacillet. — Jam si

quaeritur, quomodo ego lectionem istam codicis nostri emendandam putem, ingenue fateor, me haesitare; attamen periculum faciendum est. Facillima quidem videtur emendandi ratio, si leni verborum trajectione adhibita legamus: *quae sit vulgo ter enixa.* Quod enim inter „*vulgo*" et „*enixa*" unum vocabulum „*ter*" intercedit, id non potest offendere, ac simile habet, quo confirmetur, exemplum in L. 4. §. 2. D. de grad. et affin.: „. . . . quae per feminam descendit, quae *vulgo liberos peperit.*" Verumtamen remanet dubitatio ista, num veteribus Jureconsultis usitata fuerit locutio: *vulgo eniti.* Quid igitur? licetne forsitan, sine ulla verborum trajectione, ex „*vulgo*" efficere vel: *vulgaris*, (quo quidem verbo ad denotandam eam, quae corpore quaestum facit, Ulpianus utitur in L. 13. §. 2. D. ad leg. Jul. de adult.) vel: *virgo* (quae sit ter enixa)? Huic quidem conjecturae praevideo fore, qui opponant, feminam, quae virum passa atque enixa sit, non amplius *virginem* appellari posse; sed audiamus Servium ad Virgil. Aen. XI. vers. 687. haec notantem: „Usus obtinuit, ut innuptas virgines, nuptas mulieres vocemus. Nam apud majores *indiscrete virgo* dicebatur et *mulier;* utrumque enim sexum tantum significabat, ut ecce hoc loco dicit: *armis muliebribus*, cum Camillam innuptam fuisse manifestum sit. Item in Bucolicis legimus: *Ah virgo infelix*, cum Pasiphaën constet *ex Minoë* ante amorem tauri *filios suscepisse.* Terentius in Hecyra etiam *mulierem post partum virginem* vocat:

Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo."

Nec vero poëtarum tantum hoc proprium est, ut ad *vitiatas* quoque feminas *virginis* nomen referatur, verum etiam apud pedestris orationis scriptores interdum, quanquam rarius, ejusmodi inveniuntur exempla, velut apud

Justinum I. c. 3., item apud Curtium V. c. 1. (certe ex emendat. Barthii.) Cf. etiam Drakenborchius ad Silii Italici Punic. III. v. 435. — Haec mihi testimonia Godofredus Hermannus, quae eximia est ipsius liberalitas, suppeditavit, allato ad confirmandum illum loquendi usum etiam hoc argumento, quod et Graecis παρθενίας dicatur ex virgine natus.

Paulo post, ubi ea exponuntur, quae ad jus Quiritium liberis consequendum spectant, in extrema pag. 192$^{a\beta}$ et ineunte p. 192$^{b\alpha}$ (tit. III. §. 3.) haec leguntur: „Nam lege Junia cautum est, ut . . . . possit apud praetorem vel praesidem provinciae causam probare, et fieri *civem Romanum*, tam ipse, quam filius filiave ejus, et uxor," etc. Verba „*civem Romanum*" plerique editores mutarunt in: *civis Romanus*, id quod constructio verborum postulat. Hugo autem codicis lectionem retinuit, hac adnotatione subjecta: „Nostra lectio codicem sequitur *nec plane vitiosa est*;" quod quomodo defendatur, fateor me non intelligere, praesertim cum ista verba rursus nominativi sequantur: „tam ipse, quam filius" etc.

P. 193$^{a\alpha}$ l. 11—15. (tit. V. §. 10.) ita scriptum invenitur: „In his, qui jure contracto matrimonio nascuntur, conceptionis *tēpore exceptat*^{2}; in his autem, qui non legitime concipiuntur, editionis." Corruptam lectionem „*tēpore exceptat*^{2}" vulgo sic emendarunt: *tempus spectatur*. Ad sententiam quidem recte et convenienter cum eo, quod Ulpianus L. 7. §. 1. D. de senat. ait; sed propius ad codicis scripturam accedemus, si pro *spectatur* reposuerimus: *expectatur*, ut eadem huic verbo notio subjecta sit, quae spectandi verbo inest. Nempe haec duo verba haud raro apud veteres promiscue usurpata reperiuntur, id quod jam alii animadverterunt, velut Brissonius s. v. *Exspectare*, no. 4. et s. v. *Spectare*,

no. 1., Ever. Otto ad Instit. l. IV. t. 2. §. 2. not. d. atque Dirksenius in libro, quem inscripsit: Beiträge zur Kunde des Römischen Rechts, p. 276 — 278. Cujus generis exempla, ubi *exspectare* idem, quod *spectare* significat, ut ad juris Justinianei tantum libros respiciam, continentur §. 2. I. de vi bon. rapt., L. 26. §. 1. D. de acquir. rer. dom. (certe ex Flor. pluriumque aliorum codicum lectione), item L. 12. sub fin. C. de praescript. longi temp.

De vocabulo „*institutus*," quod p. 193 aa l. 25. et 26. (tit. VI. §. 2.) in hac verborum serie legitur: „Dotem dicere potest mulier, quae nuptura est, et debitor mulieris, si jussu ejus dicat *institutus* parens mulieris virilis sexus," etc. alii aliter judicarunt. Cujacius quidem in notis ad Ulpiani Fragmenta sincerum existimans hoc vocabulum ita interpretatur: „*ad hanc rem constitutus.*" Sed pluribus haec sententia laborat incommodis. Primum enim dubitandum est, num is, qui ad aliquam rem constitutus est, accommodate ad indolem latini sermonis dici possit *institutus*, sive simpliciter, sive conjuncte cum *jussu.* Deinde, etiamsi possit ita dici, certe negari nequit, in hoc verborum contextu prorsus supervacaneum et molestum esse istud *institutus;* ac denique quae proxime sequuntur verba: „parens mulieris" etc., plane dissoluta exstant nec ulla, quemadmodum oportet, particula copulativa cum antecedentibus cohaerent, cum tamen verbo „debitor" paulo ante commemorato vocula „*et*" praecedat. Ex his itaque argumentis apparere arbitror, vitiosam esse istam scripturam codicis, neque igitur Jo. Cannegieterus audiendus erit, qui in editione sua Ulpiani verba illa: „si jussu ejus dicat institutus," sic putat accipienda, „quasi dixisset Ictus: si, *vel dummodo*, *ut* jussu ejus dicat, *fuerit* institutus," ac paulo post addit: „Possis et legere *di-*

cAT id institutus, hoc est, dicat ad id institutus.“ Nec vero multum proficit, si pro „*institutus*“ reposuerimus: *constitutus*, quam quidem lectionem interpolatus codex Auredani habet et ad ejus normam Charondas in edit. II. atque Meermanus receperunt; namque hac ratione duo posteriora, quae Vaticani codicis scripturae opposui, argumenta haud removentur. Itaque alia quaerenda est emendatio. Quod vero in editione Parisiensi a. 1586. margini adscriptum est: „*justus tutor*“, id, quamvis Schultingio aliisque placuerit, tamen non magis, quam illa emendatio, ac fortasse etiam minus probari poterit. Jam in ea quidem reprehensionis causa, quam Roeverus in Specimine ad loca quaedam jur. civ. depravata, c. 8. (in Oelrichsii Thes. dissert. jurid. Vol. I. p. 140. seq.) affert, videlicet in tutoris commemoratione non opus esse nomine adjectivo *justi*, non tanta vis inest, ut rem conficiat; namque *justi* tutoris appellatio etiam in L. 27. pr. D. de testament. tutel. invenitur; at certe hoc conjecturae isti quam maxime obstat, quod mulierum tutores, quanquam auctoritas eorum, ut ex Fragment. nostr. tit. XI. §§. 20. et 21. intelligitur, ad dotem dicendam necessaria erat, tamen per se soli non poterant mulieris nomine dotem dicere, quippe cum, teste Ulpiano nostro tit. XI. §. 25., non negotia gererent mulierum, sed auctoritatem duntaxat interponerent; id quod jam Unterholznerus in censura libri, quem Hassius de jure ad bona conjugum spectante scripsit, Ephemeridibus liter. Halens. a. 1824. no. 184. seq. comprehensa, contra istam conjecturam recte monuit. Itaque in illo Ulpiani loco non licet tutorem *separatim a muliere* commemorari; immo ne opus quidem est speciali tutoris mentione, quum ex generali regula ab Ulpiano tit. XI. §. 27. tradita, secundum quam mulieres tutoris auctoritate indigebant, quo-

ties se obligare vel civile negotium gerere vellent, facile intelligatur, nec dotem ab ipsis sine tutoris auctoritate dici potuisse. Praeterea vero incommodum, quod de scriptura codicis notavi, in defectu particulae, qua sequentia verba: „parens mulieris“ etc. cum antecedentibus copulentur, positum, conjectura ista non modo non tollitur, verum etiam novum affertur, quippe cum verba illa: „*justus tutor*“ itidem omni careant, quo cum antecedentibus cohaereant, vinculo. Quodsi ab hoc uno discesseris incommodo, cetera argumenta, quibus conjecturam editioni Parisiensi adscriptam modo impugnavi, pariter etiam Roeveri emendationi l. c. propositae obstant. Is enim ex illo „*institutus*“ efficiendum putat: „*item et tutor*“. — Denique Hugo in Addend. et Corrig. Jur. civ. Antejust. Tom. II. p. 1604. ad illum Ulpiani locum haec notat: „Sub voce *institutus* forte latet vox, quam *et* praecedere, explicatio sequi videtur. Si ex *institutus* effeceris *justae dotis*, repetendum esset antea *et debitor*“. Postea tamen ipse hanc conjecturam videtur improbasse, quippe qui in novissima editione nullam amplius ejus mentionem fecerit. Nec sane probari potest, tum quia paulo difficilior est ista scripturae codicis mutatio, quae supplementum quoque necesse habet in auxilium vocare, tum quia *justae* dotis appellatio nusquam, quod sciam, in jure Romano invenitur. — Atque ego quidem quomodo vitiosam istam codicis scripturam emendandam existimem, jam in dissertatione critica de Ulpiani Fragmentis p. 7. et 8. significavi; demonstrare enim studui, pro „*institutus*“ legi oportere: *item*. De cujus emendationis fide cum certissime mihi persuasum sit, hoc loco eam non duxissem repetendam, nisi haberem aliquid, quod adjicerem. Scilicet praeter exspectationem nuper demum a juvene literatissimo, E. Heimbachio, quem honoris causa nomino, ea de re admonitus comperi, jam ab

Aleandro ad Gaji Institutionum Epitomen lib. II. tit. 9. §. 3. (in Schultingii Jurispr. Antejust. p. 153. not. 36.) verba illa Ulpiani ita referri, ut pro „*institutus*" positum reperiatur: „*item*". Qua in re illud est, quod mireris, Aleandrum neque vulgaris lectionis mentionem fecisse, neque ullo verbo significasse, unde lectionem illam hauserit, utrum ex codice aliquo, quod quidem addubito, an ex ingenio. Utcunque sese res habet, novum certe exinde emergit praesidium, quo argumenta ad emendationem illam corroborandam a me allata augeantur.

Super actione ad dotis repetitionem comparata p. 193 a β l. 8 — 14. (tit. VI. §. 6.) haec leguntur: „Divortio facto, si quidem sui juris sit mulier, ipsa habet actionem *Id ē. dotis repetitionē.* Quodsi in potestate patris sit, pater adjuncta filiae persona habet actionem *revera*, nec interest, adventicia sit dos, an profecticia." Verbum „*revera*" hoc loco plane ineptum Cujacius mutavit in *rei uxoriae;* quae quidem emendatio et ingeniosissima est et verissima. Aliam insuper mutationem (de qua vid. Meermani Thes. Tom. VII. p. 751. not. 8.,) proposuit Pet. Faber. Etenim illud „*rei uxoriae*" ad antecedentem ennunciationem retrahendum putat, ut post verba: „ipsa habet actionem" ponatur; eamque mutationem Hugo recepit, ita tamen, ut in novissima editione istud „*rei uxoriae*" non post, sed ante verbum „*actionem*" collocaverit. Ego vero totam hanc mutationem non admittendam censeo. Namque eo ipso loco, quem in codice mendosum istud „*revera*" obtinet, pernecessaria est rei uxoriae actionis mentio, quia hujus tantum actionis id proprium erat, ut a patre non nisi adjuncta filiae in ipsius potestate constitutae persona institui posset; quod secus erat in ex stipulatu actione. Audiamus Justinianum, ea de re in L. un. §. 14. C. de rei uxor. act. ita referentem: „Si quando . . . post dissolu-

tum matrimonium dos a patre ejus petebatur, siquidem rei uxoriae fuerat actio, non poterat solus pater sine consensu filiae suae agere, ... quod non erat in ex stipulatu actione. Ibi enim et solus actionem habebat, consensu filiae non exspectato" etc. At contra ea Ulpiani verba, ad quae Pet. Faber et Hugo istud „*rei uxoriae*" referendum putarunt, non debent de sola rei uxoriae actione intelligi. Etenim si sui juris erat mulier, haud dubie ex stipulatu aeque ac rei uxoriae actionem ipsa habebat, nisi forte is, qui dotem dederat, ut sibi redderetur, stipulatus esset; qua de re cf. L. 2. pr. L. 22. §. 5. et L. 34. D. soluto matrim., L. 71. D. de eviction. et L. 43. §. 1. D. de jure dot. Quapropter in illo Ulpiani loco generatim oportebat de actione ad dotem repetendam comparata mentionem fieri, ut ad actionem ex stipulatu non minus, quam rei uxoriae actionem pertineret. — Ceterum eo inclino, ut ex scriptura codicis „*Id ē* dotis repetitionē" efficiam: *ad* dotis repetitionem, vel: *de* dotis repetitione, (sicut in L. 55. D. soluto matrim. dicitur,) cum vulgaris lectio „id est" contextui orationis, quo actio tantum, non vero etiam nomen ejus commemoratur, parum convenire videatur.

Morum mariti puniendorum ratio p. 193 bα l. 6—14. (tit. VI. §. 13.) sic describitur: „Mariti mores puniuntur in ea quidem dote, quae a die reddi debet, ita propter majores mores praesentem dotem *reddat*, propter minores senum mensum die. In ea autem, quae praesens reddi solet, tantum ex fructibus jubetur reddere, quantum in illa dote *quadriennio* redditur, *repensatio* facit." Quod ad priorem hujus capitis partem attinet, inter verba „ita — propter" intercidisse arbitror voculam: *ut*, qua quidem recepta et aptius oratio cohaerebit, et causa in promtu est conjunctivi „*reddat*", in cujus locum editores indicativum vulgo

substituerunt. — In posteriore autem parte duo verba offendunt: „*quadriennio*" et „*repensatio*". Atque ex illo quidem verbo, quod jam Schultingius, utpote huic loco non accommodatum, in „*triennio*" mutandum suspicatus erat, Hugo praestantissima emendatione effecit: *quae triennio*; ita ut non amplius opus sit additamento isto: *quod*, quo videlicet plurimi editores ante Hugonem duo postrema illius loci verba cum antecedentibus conjungenda existimaverant. — Quod vero idem vir doctissimus alterum vocabulum tuendum putat, (cujus patrocinium etiam Salmasius de modo usurar. c. 4. in fin. susceperat, parum sane feliciter postrema hujus loci verba ita restituere conatus: „quantum in illa dote quadriennii redituum repensatio facit,") id illi non assentior. Namque vox repensationis, quemadmodum Hugo ipse in Promtuario juris civ. Tom. V. p. 253. fatetur, nusquam apud veteres invenitur; et quamvis facile possit ex *repensandi* verbo deduci et formari, tamen ipsa vis ac potestas, quam ei tribui oporteat, ab illo Ulpiani loco aliena erit. Cum enim *repensare* idem significet ac *compensare*, (velut in L. 8. C. de locato,) consequens est, ut etiam *repensationi*, quandoquidem haec vox admittatur, *compensationis* notio subjici debeat. At vero haec ipsa notio, praesertim si nihil additum sit, quod compensetur, quam illi loco Ulpiani conveniat, equidem non video; quocirca non magis probare possum lectionem a Meermano receptam: *compensatio.* Verissima autem mihi videtur emendatio jam dudum proposita: *repraesentatio*, qua videlicet solutio dotis ante diem legitimum facta significetur. Opponit quidem Hugo l. c., vocem *repraesentationis*, cum *praesentis* solutionis vim habeat, non respondere illi causae, ubi dos non praesens, sed senum mensum die reddenda sit; verumtamen non tam stricte interpretandum esse hoc verbum, sed ad omnem so-

lutionem pertinere, quae ante diem solutioni praefinitum fiat, perspicue mihi intelligere videor ex L. 88. §. 5. D. de legat. II.: „Testator legata ante quinquennium vetuit peti praestarique; sed heres quaedam sua sponte ante quinquennium solvit. Quaesitum est, an *ejus, quod ante diem exsistentem solutum est, repraesentationem* in reliqua solutione legati reputare possit? Respondi, non propterea minus relictum videri, quod aliquid *ante diem* sit solutum“. Cum igitur ea, qua dixi, ratione optime possint ac facillime postrema illius enunciationis verba restitui, non lubet jam commorari in refellendis iis, quae Jo. Cannegieterus ad hunc locum protulit, ita scilicet legendum opinatus: „quantum in illa dote quadriennio redituum fuit, quo repraesentatio facta fuit.“

In iis, quae p. 193 bβ l. 5 — 7. (tit. VII. §. 2.) scripta sunt: „Si maritus divortii causa res *moverit*, rerum quoque amotarum actione tenebitur“, Schultingio assentior, pro „*moverit*“ reponendum existimanti: *amoverit*, id quod usus loquendi postulat, a veteribus Jureconsultis constanter observatus.

Lacunis depravata sunt, quae eadem pagina l. 15. seq. (tit. VII. §. 4.) de causae probatione traduntur: „Nam seu civis Romanus Latinam, aut peregrinam, vel eam, quae dediticiorum numero est, quasi per ignorantiam uxorem duxerit, sive civis Romana per errorem peregrino vel ei, qui dediticiorum numero est, aut etiam quasi latino ex lege ascia nupta fuerit, causa probata, civitas redditur tam liberis, quam parentibus“ etc. Etenim post primum istud „*quasi*“ intercidisse: *civem*, jam Pet. Faber suspicatus est, (qui ceteroquin praeter necessitatem etiam trajectionem verborum adhibendam putavit, ut legeretur: *per ignorantiam, quasi civem,*) idque supplementum plures editores receperunt; recte quidem, modo voci *civem* ad-

datur: *Romanam*, quemadmodum etiam Gaji exemplo I. §. 67. confirmatur. Quod vero Jo. Cannegieterus, nullam in hoc loco lacunam agnoscens, pro „*quasi*" mavult: „*quamvis*, hoc est, *quantumvis*, aut potius *quamcunque* vel *quamlibet*," et tum addit: „Quod si tamen religiosior Codicum lectioni inhaereas, accipere possis *per quasi* ignorantiam", id cum nemini credam probatum iri, refutandi opera supersedere possum. — Alia paulo post et quidem ante verba „aut etiam quasi Latino" deprehenditur lacuna, in qua quidem explenda, sin minus verbis, at certe re ipsa plane inter se consentiunt Hugo in Addend. et Corrig. Juris civ. Antejust. p. 1604., Goeschenius in adnotatione ad Gajum I. §. 68., Hollwegius de causae probatione p. 42. et 59. atque Gansius in Scholiis ad Gajum p. 109. et 110. Nempe Hugo lacunam illam hisce verbis supplendam putat: *quasi civi*, (quod tamen novissima editione non recepit,) Goeschenius sic: *tanquam civi Romano*, Hollwegius autem atque Gansius hunc in modum: *quasi civi Romano*. De fide harum supplendi rationum Gajus I. §. 68. non patitur nos dubitare. Quodsi de verborum electione quaeritur, eam maxime comprobandam censeo rationem, quam Hollwegius et Gansius inierunt. Namque vox *Romano*, ab Hugone praetermissa, post civis mentionem non commode deesse potest; atque *quasi* vocabulo *tanquam*, quod Goeschenius Gaji exemplum secutus adhibuit, idcirco praeferendum duco, quia non solum in hoc Ulpiani loco, de quo disputamus, illud bis usurpatum invenitur, verum etiam, si ab uno tit. XXII. §. 26. discesserimus, in omnibus aliis Fragmentorum nostrorum locis, ubi nihil interest, utrum *quasi* an *tanquam* diceretur, i. e. tit. V. §. 7., tit. VIII. §. 8., tit. XX. §. 14. atque tit. XXII. §. 10., constanter Ulpianum *quasi* scripsisse

animadvertimus. — Ceterum quid alii ad codicis nostri scripturam in illo loco emendandam tentaverint, nunc non opus est exponere, cum huic desiderio jam Hollwegius in lib. cit. p. 40—42. satisfecerit.

De personis, quae adoptari vel arrogari possint, p. 194 aa l. 4 — 11. (tit. VIII. §. 5.) ita scriptum est: „Per praetorem vel praesidem provinciae adoptari tam masculi, quam feminae, et tam puberes, quam impuberes possunt. Per populum vero Romanum feminae quidem non *arrogant.* Pupilli *aūt* quidem non poterant arrogari; nunc aūt possunt ex constitutione divi Antonini." Pro „*arrogant*" legendum esse: *arrogantur*, jam Cujacius recte vidit, eaque lectio etiam a pluribus editoribus recepta est. Quod vero ex codicis scriptura: „*aūt*" (post verbum „pupilli") vulgo effecerunt: *antea*, mihi quidem pluribus de causis displicet; primum quia eadem scriptura, paucis verbis interjectis, iterum comparet, (sicut aliis quoque codicis nostri locis permultis,) ubi dubitari nequit, quin significet: *autem;* tum quia haec ipsa vox etiam priore illo loco pernecessaria est propter antecedens „*quidem*", quippe cui alioquin nihil responderet; (quod enim Jo. Cannegieterus vult, istud „*quidem*" accipiendum esse pro: *certe*, *profecto*, vix probari poterit;) denique quia verbum *antea* huic loco, quo de re jam dudum ante Ulpiani aetatem per constitutionem Antonini Pii sublata agitur, parum accommodatum videtur. — Melius sane in editione Parisiensi a. 1586. ita legitur: „Pupilli *autem quondam*" etc.; attamen ne in hac quidem lectione acquiescendum puto. Etenim vocabulum „*quidem*" hoc loco necessarium habeo propter „*autem*", quod paulo post sequitur, („nunc *autem* possunt") et quod in ejus locum editio illa substituit „*quondam*", id minus usitatum est Ulpiano, quippe qui, ubi veteris juris suo tempore exoleti

mentionem facit, vocabulo *olim* potius uti soleat, velut tit. I. §. 8. Atque hoc ipsum vocabulum etiam illo loco, de quo quaerimus, intercidisse suspicor. Itaque legendum puto: Pupilli *autem olim* quidem non poterant arrogari, nunc autem possunt etc. Simillimum hujus verborum structurae exemplum habemus tit. V. §. 6.: „Inter cognatos *autem* ex transverso gradu *olim quidem* usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant, nunc *autem* etiam ex tertio gradu licet uxorem ducere" etc. Hac igitur ratione cum omnia in illo Ulpiani loco optime cohaereant, non admittendum est, ut primum istud „*quidem*" (post verbum „feminae") deleatur, quemadmodum Hugoni in Add. et Corrig. Jur. civ. Antejust. p. 1604. visum est; quod tamen ipse postea tacite revocavit, novissima editione eam voculam recipiendo. — Sed singularia quaedam de illius loci sententia van de Water in Observat. Jur. Rom. lib. III. c. 16. sub fin. protulit. En ipsius verba: „Vocula . . . *quidem*" (scil. post „*feminae*") „significat, alia nihilominus forma foeminas arrogari quivisse; respiciente Ulpiano ad auctoritatem Principis. . . . . . Suspicor itaque, post *arrogantur* quaedam excidisse: nam si formam disputandi in proxime sequentibus usurpatam, quae huic simillima est, attendamus, non obscure monebimur, defectu Ulpianum laborare. Ait Ulpianus: *Per populum vero Romanum foeminae quidem non arrogantur*; supple, *at ex rescripto Principis possunt.* Pergit illico Ulpianus: *Pupilli antea quidem non poterant arrogari: nunc autem possunt ex constitutione Divi Antonini.* Aut dicendum est, Ulpiani orationem non quidem abrumpi post vocem, *arrogantur*, sed jungendam esse sequentibus; sic ut, et quod de foeminis, et quod de pupillis asseritur, pertineat ad illa: *nunc autem possunt ex constitutione Divi Antonini* . . . . . . Sensus igitur est:

Foeminae quidem per populum Romanum non arrogantur; sed possunt arrogari ex constitutione Antonini, scilicet, per rescriptum Principis: nam credere licet, constitutionem Antonini ea forma arrogationem foeminarum, et forsitan etiam aliorum, quibus non erat commodum convocare comitia populi, permisisse." Tota haec viri doctissimi disputatio mihi quidem videtur a vero aberrare. Primum videlicet istud „*quidem*" falso intellexit. Etenim si hoc voluisset Ulpianus significare, feminas alia certe ratione, quam per populum Romanum, arrogari posse, debebat ex logica et grammatica ratione istud „*quidem*" verbis: „per populum Romanum" subjungere. Cum vero post „*feminae*" collocatum reperiatur, necesse est aliud quid huic enunciationi oppositum sit, idque in *pupillorum* arrogatione deinceps commemorata cernitur. Tum nec illud Watero concedendum est, quod existimat, Antonini Pii constitutione introductam esse eam arrogationis formam, quae ex rescripto Principis fit. Namque ut taceam argumentum, quo quidem ille ipse uti nondum potuit, ex Gaji Institutionibus depromtum, quippe in quibus nulla exstet constitutionis Imperatoris Antonini, quae istam arrogationis formam introduxerit, mentio, quamvis ejus commemorandae lib. I. §§. 101. et 102. opportunitas oblata esset; ex ipsis Fragmentis nostris opinio Wateri refutari poterit. Si enim Ulpiani aetate increbruisset, ut arrogationes Principis aeque ac populi auctoritate fierent, nonne credibile est, Ulpianum tit. VIII. §. 2., ubi diversas adoptionis formas ita enumerat: „Adoptio fit aut per populum, aut per praetorem, vel praesidem provinciae. Illa adoptio, quae per populum fit, specialiter arrogatio dicitur," nonne, inquam, credibile est, hoc loco eum etiam arrogationem per Principem fieri solitam commemoraturum fuisse? Inveniuntur quidem jam ante Antonini Pii tempora singula arrogationum Principis auctoritate factarum exempla, velut apud Tacitum Histor. I. c. 18. et Suetonium in Galba c. 17., item apud Spartianum in Hadriano c. 3. et 4., sed *extra ordinem* talia interdum evenisse, (in quam sententiam etiam L. 21. D. de adoption.,

nisi forte interpolata sit, interpretanda erit,) jam alii animadverterunt; qua de re vide sis, quae nuper Zimmernius in Historia jur. Rom. Tom. I. p. 812—814. docte, ut solet, disputavit. In locum autem antiquae arrogationis per populum factae novam arrogationis formam in rescripto principali positam a Diocletiano demum et Maximiano vel certe non multo ante substitutam esse, ex L. 2. C. de adoptionibus emergere mihi videtur. Hic enim Imperatores illi: „Arrogatio," inquiunt, „ex indulgentia principali facta perinde *valeat* apud praetorem vel praesidem intimata, ac si *per populum jure antiquo* facta esset." Quodsi eo tempore jam inveterasset arrogatio ex indulgentia principali fieri solita, Imperatores credo non „*valeat*," sed „*valere constat*" vel similiter fuisse dicturos; quid? quod ne opus quidem ea mentione fuisset. — Quae si probabiliter disputata sunt, totum fundamentum, quo et conjectura Wateri de supplendis in illo Ulpiani loco verbis, quae retulimus, et interpretatio deinceps proposita, satis nimirum dura atque contorta, nititur, labefactatum est; unde miror, ipsi Schultingio istam Wateri conjecturam *valde verisimilem* visam esse. Atque eadem fere argumenta etiam Herm. Cannegieteri conjecturae, Observ. jur. Rom. lib. II. c. 19. expositae, obstant, qua in illo Ulpiani loco legendum putat: „feminae quidem non arrogantur, *ut* pupilli" etc. Scilicet itidem, ut Waterus, in ea versatur opinione, feminarum aeque ac pupillorum arrogationem ab Antonino Pio permissam esse, sed utramque non nisi ex rescripto Principis; idque illo Ulpiani loco contineri existimat. At vero hoc est inculcare Ulpiani verbis sententiam, quae iis non inest, nec convenit. Nam quod feminas arrogari posse negat Ulpianus, id non, sicut in pupillis, ad praeteritum, sed ad praesens tempus refert, nec vero ullam rescripti principalis mentionem facit, quam quidem, si id exprimere voluisset, quod Cannegieterus suspicatur, praetermittere nullo pacto poterat. Ceteroquin impuberum arrogationem ab Antonino Pio permissam ad *populi*,

non ad Principis auctoritatem pertinuisse, ut jam pridem e L. 2. C. cit. colligi poterat, ita nunc Gaji Institut. I. §. 102. plenissime confirmatur: „Item impuberem apud populum adoptari aliquando prohibitum est, aliquando permissum est; nunc ex epistola optimi Imperatoris Antonini, quam scripsit Pontificibus, si justa causa adoptionis esse videbitur, cum quibusdam conditionibus permissum est."

In iis, quae extrema p. $194^{a\alpha}$ et ineunte pag. $194^{a\beta}$ (tit. X. §. 1.) sic expressa sunt: „sed filius quidem ter mancipatus *ter* manumissus sui juris fit," pro „*ter* manumissus," quo aptior fiat oratio, legendum puto: *terque* manumissus, ad exemplum eorum, quae paulo post sequuntur: „Ceteri autem liberi...... una mancipatione *manumissioneque* sui juris fiunt."

Quod p. $194^{b\alpha}$ l. 4. et 5. (tit. X. §. 5.) scriptum est: „qui flaminis *divalis* inaugurantur," ex eo plurimi quidem editores effecerunt: „qui Flamines *Diales* inaugurantur;" Hugo autem lectionem „*Divales*" retinendam censuit; minus tamen recte, ut arbitror. Namque divale idem est ac divinum; quod vero ad *Jovem* pertinet, id *Dialis* nomine significatur. Hinc Flamines *Jovis* nusquam, quod sciam, *Divales*, sed usquequaque *Diales* appellantur, id quod praeter multa aliorum scriptorum testimonia, velut Livii I. 20., Taciti Annal. III. 58. et IV. 16., Gellii I. 12. et X. 15., etiam Gaji auctoritate I. §. 112. et III. §. 114. confirmatur.

Sed haec hactenus. De reliquis enim Fragmentorum Ulpiani titulis inde ab undecimo quae habeo dicere, in aliam reservare visum est scribendi opportunitatem.
